桑木文庫
洋書
0355



CARL FRIEDRICH GAUSS

WERKE

VIERTER BAND

ZWEITER ABDRUCK

HERAUSGEGEBEN

VON DER

KÖNIGLICHEN GESELLSCHAFT DER WISSENSCHAFTEN

ZU

GÖTTINGEN.

1880.

Band I. DISQUISITIONES ARITHMETICAE. Zweiter Abdruck 1870. Preis 12 Mark.
II. HÖHERE ARITHMETIK. Zweiter Abdruck. 1876. Preis 12 Mark.
Nachtrag zum ersten Abdruck des zweiten Bandes. Preis 1 Mark.
III. ANALYSIS. Zweiter Abdruck. 1876. Preis 12 Mark.
IV. WAHRSCHEINLICHKEITS - RECHNUNG UND GEOMETRIE. Zweiter Abdruck. 1880. Preis 15 Mark.
V. MATHEMATISCHE PHYSIK. Zweiter Abdruck. 1877. Preis 15 Mark.
VI. ASTRONOMISCHE ABHANDLUNGEN. 1874. Preis 20 Mark.

Zu beziehen von der K. Universitäts-Casse in Göttingen nach den auf der Rückseite dieses Umschlages abgedruckten Bestimmungen.

物理
08
G
2.4

九州帝國大學理學部
8316
物理學教室

九州帝國大學工學部
807854
昭和　年　月　日
數學力學物理學教室

桑木文庫
洋書
0355

CARL FRIEDRICH GAUSS WERKE


BAND IV.

理学部　洋　遡及
022232002005383
九州大学蔵書

CARL FRIEDRICH GAUSS

WERKE

VIERTER BAND.



ZWEITER ABDRUCK

HERAUSGEGEBEN

VON DER

KÖNIGLICHEN GESELLSCHAFT DER WISSENSCHAFTEN

ZU

GÖTTINGEN

1880.

19. 4. 25
130623

THEORIA
COMBINATIONIS OBSERVATIONUM
ERRORIBUS MINIMIS OBNOXIAE

PARS PRIOR

AUCTORE

CAROLO FRIDERICO GAUSS

SOCIETATI REGIAE SCIENTIARUM EXHIBITA 1821. FEBR. 15.

Commentationes societatis regiae scientiarum Gottingensis recentiores. Vol. v.
Gottingae MDCCCXXIII.

THEORIA
COMBINATIONIS OBSERVATIONUM
ERRORIBUS MINIMIS OBNOXIAE.

PARS PRIOR.

1.

Quantacunque cura instituantur observationes, rerum naturalium magnitudinem spectantes, semper tamen erroribus maioribus minoribusve obnoxiae manent. Errores observationum plerumque non sunt simplices, sed e pluribus fontibus simul originem trahunt: horum fontium duas species probe distinguere oportet. Quaedam errorum caussae ita sunt comparatae, ut ipsarum effectus in qualibet observatione a circumstantiis variabilibus pendeat, inter quas et ipsam observationem nullus nexus essentialis concipitur: errores hinc oriundi irregulares seu fortuiti vocantur, quatenusque illae circumstantiae calculo subiici nequeunt, idem etiam de erroribus ipsis valet. Tales sunt errores ab imperfectione sensuum provenientes, nec non a caussis extraneis irregularibus, e. g. a motu tremulo aeris visum tantillum turbante: plura quoque vitia instrumentorum vel optimorum huc trahenda sunt, e. g. asperitas partis interioris libellularum, defectus firmitatis absolutae etc. Contra aliae errorum caussae in omnibus observationibus ad idem genus relatis natura sua effectum vel absolute constantem exserunt, vel saltem talem, cuius magnitudo secundum legem determinatam unice a circumstantiis, quae tamquam essentialiter cum observatione nexae spectantur, pendet. Huiusmodi errores constantes seu regulares appellantur.

Ceterum perspicuum est, hanc distinctionem quodammodo relativam esse, et a sensu latiore vel arctiore, quo notio observationum ad idem genus pertinentium accipitur, pendere. E. g. vitia irregularia in divisione instrumentorum ad

angulos mensurandos errorem constantem producunt, quoties tantummodo de observatione anguli determinati indefinite repetenda sermo est, siquidem hic semper eaedem divisiones vitiosae adhibentur: contra error ex illo fonte oriundus tamquam fortuitus spectari potest, quoties indefinite de angulis cuiusvis magnitudinis mensurandis agitur, siquidem tabula quantitatem erroris in singulis divisionibus exhibens non adest.

2.

Errorum regularium consideratio proprie ab instituto nostro excluditur. Scilicet observatoris est, omnes caussas, quae errores constantes producere valent, sedulo investigare, et vel amovere, vel saltem earum rationem et magnitudinem summo studio perscrutari, ut effectus in quavis observatione determinata assignari, adeoque haec ab illo liberari possit, quo pacto res eodem redit, ac si error omnino non affuisset. Longe vero diversa est ratio errorum irregularium, qui natura sua calculo subiici nequeunt. Hos itaque in observationibus quidem tolerare, sed eorum effectum in quantitates ex observationibus derivandas per scitam harum combinationem quantum fieri potest extenuare oportet. Cui argumento gravissimo sequentes disquisitiones dicatae sunt.

3.

Errores observationum ad idem genus pertinentium, qui a caussa simplici determinata oriuntur, per rei naturam certis *limitibus* sunt circumscripti, quos sine dubio exacte assignare liceret, si indoles ipsius caussae *penitus* esset perspecta. Pleraeque errorum fortuitorum caussae ita sunt comparatae, ut secundum legem continuitatis omnes errores intra istos limites comprehensi pro possibilibus haberi debeant, perfectaque caussae cognitio etiam doceret, utrum omnes hi errores aequali facilitate gaudeant an inaequali, et quanta probabilitas relativa, in casu posteriore, cuivis errori tribuenda sit. Eadem etiam respectu erroris totalis, e pluribus erroribus simplicibus conflati, valebunt, puta inclusus erit certis limitibus (quorum alter aequalis erit aggregato omnium limitum superiorum partialium, alter aggregato omnium limitum inferiorum); omnes errores intra hos limites possibiles quidem erunt, sed prout quisque infinitis modis diversis ex erroribus partialibus componi potest, qui ipsi magis minusve probabiles sunt, alii maiorem, alii minorem facilitatem tribuere debebimus, eruique poterit lex probabilitatis relativae, si leges errorum simplicium cognitae supponuntur, salvis difficultatibus analyticis in colligendis omnibus combinationibus.

Exstant utique quaedam errorum caussae, quae errores non secundum legem continuitatis progredientes, sed discretos tantum, producere possunt, quales sunt errores divisionis instrumentorum (siquidem illos erroribus fortuitis annumerare placet): divisionum enim multitudo in quovis instrumento determinato est finita. Manifesto autem, hoc non obstante, si modo non omnes errorum caussae errores discretos producant, complexus omnium errorum totalium possibilium constituet seriem secundum legem continuitatis progredientem, sive plures eiusmodi series interruptas, si forte, omnibus erroribus discretis possibilibus secundum magnitudinem ordinatis, una alterave differentia inter binos terminos proximos maior evadat, quam differentia inter limites errorum totalium, quatenus e solis erroribus continuis demanant. Sed in praxi casus posterior vix umquam locum habebit, nisi divisio vitiis crassioribus laboret.

4.

Designando facilitatem relativam erroris totalis x, in determinato observationum genere, per characteristicam φx, hoc, propter errorum continuitatem, ita intelligendum erit, probabilitatem erroris inter limites infinite proximos x et $x+\mathrm{d}x$ esse $=\varphi x.\mathrm{d}x$. Vix, ac ne vix quidem, umquam in praxi possibile erit, hanc functionem a priori assignare: nihilominus plura generalia eam spectantia stabilire possunt, quae deinceps proferemus. Obvium est, functionem φx eatenus ad functiones discontinuas referendam esse, quod pro omnibus valoribus ipsius x extra limites errorum possibilium iacentibus esse debet $=0$; intra hos limites vero ubique valorem positivum nanciscetur (omittendo casum, de quo in fine art. praec. locuti sumus). In plerisque casibus errores positivos et negativos eiusdem magnitudinis aeque faciles supponere licebit, quo pacto erit $\varphi(-x)=\varphi x$. Porro quum errores leviores facilius committantur quam graviores, plerumque valor ipsius φx erit maximus pro $x=0$, continuoque decrescet, dum x augetur.

Generaliter autem valor integralis $\int\varphi x.\mathrm{d}x$, ab $x=a$ usque ad $x=b$ extensi exprimet probabilitatem, quod error aliquis nondum cognitus iaceat inter limites a et b. Valor itaque istius integralis a limite inferiore omnium errorum possibilium usque ad limitem superiorem semper erit $=1$. Et quum φx

pro omnibus valoribus ipsius x extra hos limites iacentibus semper sit $= 0$, manifesto etiam

valor integralis $\int \varphi x . \mathrm{d}x$ *ab* $x = -\infty$ *usque ad* $x = +\infty$ *extensi semper fit* $= 1$.

5.

Consideremus porro integrale $\int x \varphi x . \mathrm{d}x$ inter eosdem limites, cuius valorem statuemus $= k$. Si omnes errorum caussae simplices ita sunt comparatae, ut nulla adsit ratio, cur errorum aequalium sed signis oppositis affectorum alter facilius producatur quam alter, hoc etiam respectu erroris totalis valebit, sive erit $\varphi(-x) = \varphi x$, et proin necessario $k = 0$. Hinc colligimus, quoties k non evanescat, sed e. g. sit quantitas positiva, necessario adesse debere unam alteramve errorum caussam, quae vel errores positivos tantum producere possit, vel certe positivos facilius quam negativos. Haecce quantitas k, quae revera est medium omnium errorum possibilium, seu valor medius ipsius x, commode dici potest erroris pars constans. Ceterum facile probari potest, partem constantem erroris totalis aequalem esse aggregato partium constantium, quas continent errores e singulis caussis simplicibus prodeuntes. Quodsi quantitas k nota supponitur, a quavis observatione resecatur, errorque observationis ita correctae designatur per x', ipsiusque probabilitas per $\varphi' x'$, erit $x' = x - k$, $\varphi' x' = \varphi x$ ac proin $\int x' \varphi' x' . \mathrm{d}x' = \int x \varphi x . \mathrm{d}x - \int k \varphi x . \mathrm{d}x = k - k = 0$, i. e. errores observationum correctarum partem constantem non habebunt, quod et per se clarum est.

6.

Perinde ut integrale $\int x \varphi x . \mathrm{d}x$, seu valor medius ipsius x, erroris constantis vel absentiam vel praesentiam et magnitudinem docet, integrale

$$\int x x \varphi x . \mathrm{d}x$$

ab $x = -\infty$ usque ad $x = +\infty$ extensum (seu valor medius quadrati xx) aptissimum videtur ad incertitudinem observationum in genere definiendam et dimetiendam, ita ut e duobus observationum systematibus, quae quoad errorum facilitatem inter se differunt, eae praecisione praestare censeantur, in quibus integrale $\int x x \varphi x . \mathrm{d}x$ valorem minorem obtinet. Quodsi quis hanc rationem pro arbitrio, nulla cogente necessitate, electam esse obiiciat, lubenter assentiemur.

Quippe quaestio haec per rei naturam aliquid vagi implicat, quod limitibus circumscribi nisi per principium aliquatenus arbitrarium nequit. Determinatio alicuius quantitatis per observationem errori maiori minorive obnoxiam, haud inepte comparatur ludo, in quo solae iacturae, lucra nulla, dum quilibet error metuendus iacturae affinis est. Talis ludi dispendium aestimatur e iactura probabili, puta ex aggregato productorum singularum iacturarum possibilium in probabilitates respectivas. Quantae vero iacturae quemlibet observationis errorem aequiparare conveniat, neutiquam per se clarum est; quin potius haec determinatio aliqua ex parte ab arbitrio nostro pendet. Iacturam ipsi errori aequalem statuere manifesto non licet; si enim errores positivi pro iacturis acciperentur, negativi lucra repraesentare deberent. Magnitudo iacturae potius per talem erroris functionem exprimi debet, quae natura sua semper fit positiva. Qualium functionum quum varietas sit infinita, simplicissima, quae hac proprietate gaudet, prae ceteris eligenda videtur, quae absque lite est quadratum: hoc pacto principium supra prolatum prodit.

Ill. Laplace simili quidem modo rem consideravit, sed errorem ipsum semper positive acceptum tamquam iacturae mensuram adoptavit. At ni fallimur haecce ratio saltem non minus arbitraria est quam nostra: utrum enim error duplex aeque tolerabilis putetur quam simplex bis repetitus, an aegrius, et proin utrum magis conveniat, errori duplici momentum duplex tantum, an maius, tribuere, quaestio est neque per se clara, neque demonstrationibus mathematicis decidenda, sed libero tantum arbitrio remittenda. Praeterea negari non potest, ista ratione continuitatem laedi: et propter hanc ipsam caussam modus ille tractationi analyticae magis refragatur, dum ea, ad quae principium nostrum perducit, mira tum simplicitate tum generalitate commendantur.

7.

Statuendo valorem integralis $\int x x \varphi x . \mathrm{d}x$ ab $x = -\infty$ usque ad $x = +\infty$ extensi $= mm$, quantitatem m vocabimus *errorem medium metuendum*, sive simpliciter *errorem medium* observationum, quarum errores indefiniti x habent probabilitatem relativam φx. Denominationem illam non ad observationes immediatas limitabimus, sed etiam ad determinationes qualescunque ex observationibus derivatas extendemus. Probe autem cavendum est, ne error medius confundatur cum medio arithmetico omnium errorum, de quo in art. 5 locuti sumus.

Ubi plura observationum genera, seu plures determinationes ex observationibus petitae, quibus haud eadem praecisio concedenda est, comparantur, *pondus* earum relativum nobis erit quantitas ipsi mm reciproce proportionalis, dum *praecisio* simpliciter ipsi m reciproce proportionalis habetur. Quo igitur pondus per numerum exprimi possit, pondus certi observationum generis pro unitate acceptum esse debet.

8.

Si observationum errores partem constantem implicant, hanc auferendo error medius minuitur, pondus et praecisio augentur. Retinendo signa art. 5, designandoque per m' errorem medium observationum correctarum, erit

$$m'm' = \int x'x'\varphi x'.\mathrm{d}x' = \int (x-k)^2\varphi x.\mathrm{d}x = \int xx\varphi x.\mathrm{d}x - 2k\int x\varphi x.\mathrm{d}x + kk\int \varphi x.\mathrm{d}x$$
$$= mm - 2kk + kk = mm - kk.$$

Si autem loco partis constantis veri k quantitas alia l ab observationibus ablata esset, quadratum erroris medii novi evaderet $= mm - 2kl + ll = m'm' + (l-k)^2$.

9.

Denotante λ coëfficientem determinatum, atque μ valorem integralis $\int \varphi x.\mathrm{d}x$ ab $x = -\lambda m$ usque ad $x = +\lambda m$, erit μ probabilitas, quod error alicuius observationis sit minor quam λm (sine respectu signi), nec non $1-\mu$ probabilitas erroris maioris quam λm. Si itaque valor $\mu = \frac{1}{2}$ respondet valori $\lambda m = \rho$, error aeque facile infra ρ quam supra ρ cadere potest, quocirca ρ commode dici potest error *probabilis*. Relatio quantitatum λ, μ manifesto pendet ab indole functionis φx, quae plerumque incognita est. Operae itaque pretium erit, istam relationem pro quibusdam casibus specialibus propius considerare.

I. Si limites omnium errorum possibilium sunt $-a$ et $+a$, omnesque errores intra hos limites aeque probabiles, erit φx inter limites $x = -a$ et $x = +a$ constans, et proin $= \frac{1}{2a}$. Hinc $m = a\sqrt{\frac{1}{3}}$, nec non $\mu = \lambda\sqrt{\frac{1}{3}}$, quamdiu λ non maior quam $\sqrt{3}$; denique $\rho = m\sqrt{\frac{3}{4}} = 0{,}8660254\,m$, probabilitasque, quod error prodeat errore medio non maior, erit $= \sqrt{\frac{1}{3}} = 0{,}5773503$.

II. Si ut antea $-a$ et $+a$ sunt errorum possibilium limites, errorumque ipsorum probabilitas inde ab errore 0 utrimque in progressione arithmetica decrescere supponitur, erit

$$\varphi x = \frac{a-x}{aa},$$ pro valoribus ipsius x inter 0 et $+a$

$$\varphi x = \frac{a+x}{aa},$$ pro valoribus ipsius x inter 0 et $-a$

Hinc deducitur $m = a\sqrt{\frac{1}{6}}$, $\mu = \lambda\sqrt{\frac{1}{3}} - \frac{1}{6}\lambda\lambda$, quamdiu λ est inter 0 et $\sqrt{6}$, denique $\lambda = \sqrt{6} - \sqrt{(6-6\mu)}$, quamdiu μ inter 0 et 1, et proin

$$\rho = m(\sqrt{6} - \sqrt{3}) = 0{,}7174389\,m$$

Probabilitas erroris medium non superantis erit in hoc casu

$$= \sqrt{\tfrac{3}{2}} - \tfrac{1}{6} = 0{,}6498299$$

III. Si functionem φx proportionalem statuimus huic $e^{-\frac{xx}{kk}}$ (quod quidem in rerum natura proxime tantum verum esse potest), esse debebit

$$\varphi x = \frac{e^{-\frac{xx}{kk}}}{k\sqrt{\pi}}$$

denotante π semiperipheriam circuli pro radio 1, unde porro deducimus

$$m = k\sqrt{\tfrac{1}{2}}$$

(V. *Disquis. generales circa seriem infinitam* etc. art. 28). Porro si valor integralis

$$\frac{2}{\sqrt{\pi}}\int e^{-zz}\mathrm{d}z$$

a $z = 0$ inchoati denotatur per Θz, erit

$$\mu = \Theta(\lambda\sqrt{\tfrac{1}{2}})$$

Tabula sequens exhibet aliquot valores huius quantitatis:

λ	μ
0,6744897	0,5
0,8416213	0,6
1,0000000	0,6826895
1,0364334	0,7
1,2815517	0,8
1,6448537	0,9
2,5758293	0,99
3,2918301	0,999
3,8905940	0,9999
∞	1

10.

Quamquam relatio inter λ et μ ab indole functionis φx pendet, tamen quaedam generalia stabilire licet. Scilicet qualiscunque sit haec functio, si modo ita est comparata, ut ipsius valor, crescente valore absoluto ipsius x, semper decrescat, vel saltem non crescat, certo erit

λ minor vel saltem non maior quam $\mu\sqrt{3}$, quoties μ est minor quam $\frac{2}{3}$;

λ non maior quam $\frac{2}{3\sqrt{(1-\mu)}}$, quoties μ est maior quam $\frac{2}{3}$.

Pro $\mu = \frac{2}{3}$ uterque limes coincidit, puta λ nequit esse maior quam $\sqrt{\frac{2}{3}}$.

Ut hoc insigne theorema demonstremus, denotemus per y valorem integralis $\int \varphi z . dz$ a $z = -x$ usque ad $z = +x$ extensi, quo pacto y erit probabilitas, quod error aliquis contentus sit intra limites $-x$ et $+x$. Porro statuamus

$$x = \psi y, \quad d\psi y = \psi' y . dy, \quad d\psi' y = \psi'' y . dy$$

Erit taque $\psi 0 = 0$, nec non

$$\psi' y = \frac{1}{\varphi x + \varphi(-x)}$$

quare per hyp. $\psi' y$ ab $y = 0$ usque ad $y = 1$ semper crescet, saltem nullibi decrescet, sive, quod idem est, valor ipsius $\psi'' y$ semper erit positivus, vel saltem non negativus. Porro habemus $d . y\psi' y = \psi' y . dy + y\psi'' y . dy$, adeoque

$$y\psi' y - \psi y = \int y\psi'' y . dy$$

integratione ab $y = 0$ inchoata. Valor expressionis $y\psi' y - \psi y$ itaque semper erit quantitas positiva, saltem non negativa, adeoque

$$1 - \frac{\psi y}{y\psi' y}$$

quantitas positiva unitate minor. Sit f eius valor pro $y = \mu$, i. e. quum habeatur $\psi\mu = \lambda m$, sit

$$f = 1 - \frac{\lambda m}{\mu\psi' \mu} \quad \text{sive} \quad \psi' \mu = \frac{\lambda m}{(1-f)\mu}$$

His ita praeparatis, consideremus functionem ipsius y hanc

$$\frac{\lambda m}{(1-f)\mu}(y - \mu f)$$

quam statuemus $= Fy$, nec non $dFy = F' y . dy$. Perspicuum est, fieri

$$F\mu = \lambda m = \psi\mu$$
$$F'\mu = \frac{\lambda m}{(1-f)\mu} = \psi' \mu$$

Quare quum $\psi' y$, aucta ipsa y, continuo crescat (saltem non decrescat, quod semper subintelligendum), $F' y$ vero constans sit, differentia $\psi' y - F' y = \frac{d(\psi y - Fy)}{dy}$ erit positiva pro valoribus ipsius y maioribus quam μ, negativa pro minoribus. Hinc facile colligitur, $\psi y - Fy$ semper esse quantitatem positivam, adeoque ψy semper erit absolute maior, saltem non minor, quam Fy, certe quamdiu valor ipsius Fy est positivus, i. e. ab $y = \mu f$ usque ad $y = 1$. Hinc valor integralis $\int (Fy)^2 dy$ ab $y = \mu f$ usque ad $y = 1$ erit minor valore integralis $\int (\psi y)^2 dy$ inter eosdem limites, adeoque a potiori minor valore huius integralis ab $y = 0$ usque ad $y = 1$, qui fit $= mm$. At valor integralis prioris invenitur

$$= \frac{\lambda\lambda m m (1-\mu f)^3}{3\mu\mu(1-f)^2}$$

unde colligimus, $\lambda\lambda$ esse minorem quam $\frac{3\mu\mu(1-f)^2}{(1-\mu f)^3}$, ubi f est quantitas inter 0 et 1 iacens. Iam valor fractionis $\frac{3\mu\mu(1-f)^2}{(1-\mu f)^3}$, cuius differentiale, si f tamquam quantitas variabilis consideratur, fit $=$

$$-\frac{3\mu\mu(1-f)}{(1-\mu f)^4} \cdot (2 - 3\mu + \mu f) df$$

continuo decrescit, dum f a valore 0 usque ad valorem 1 transit, quoties μ minor est quam $\frac{2}{3}$, adeoque valor maximus possibilis erit is, qui valori $f = 0$ respondet, puta $= 3\mu\mu$, ita ut in hoc casu λ certo fiat minor vel non maior quam $\mu\sqrt{3}$. Q. E. P. Contra quoties μ maior est quam $\frac{2}{3}$, valor istius fractionis erit maximus pro $2 - 3\mu + \mu f = 0$, i. e. pro $f = 3 - \frac{2}{\mu}$, unde ille fit $= \frac{4}{9(1-\mu)}$, adeoque in hoc casu λ non maior quam $\frac{2}{3\sqrt{(1-\mu)}}$. Q. E. S.

Ita e. g. pro $\mu = \frac{1}{2}$ certo λ nequit esse maior quam $\sqrt{\frac{2}{3}}$, i. e. error probabilis superare nequit limitem $0{,}8660254\,m$, cui in exemplo primo art. 9 aequalis inventus est. Porro facile e theoremate nostro concluditur, μ non esse minorem quam $\lambda\sqrt{\frac{1}{2}}$, quamdiu λ minor sit quam $\sqrt{\frac{2}{3}}$, contra μ non esse minorem quam $1 - \frac{4}{9\lambda\lambda}$, pro valore ipsius λ minor quam $\sqrt{\frac{2}{3}}$.

11.

Quum plura problemata infra tractanda etiam cum valore integralis $\int x^4 \varphi x . dx$ nexa sint, operae pretium erit, eum pro quibusdam casibus speciali-

bus evolvere. Denotabimus valorem huius integralis ab $x = -\infty$ usque ad $x = +\infty$ extensi per n^4.

I. Pro $\varphi x = \frac{1}{2a}$, quatenus x inter $-a$ et $+a$ continetur, habemus $n^4 = \frac{1}{5}a^4 = \frac{1}{5}m^4$.

II. In casu secundo art. 6, ubi $\varphi x = \frac{a \mp x}{aa}$, pro valoribus ipsius x inter 0 et $\mp a$, fit $n^4 = \frac{1}{15}a^4 = \frac{1}{5}m^4$.

III. In casu tertio, ubi

$$\varphi x = \frac{e^{-\frac{xx}{hh}}}{a\sqrt{\pi}}$$

invenitur per ea, quae in commentatione supra citata exponuntur, $n^4 = \frac{3}{4}h^4 = 3m^4$.

Ceterum demonstrari potest, valorem ipsius $\frac{n^2}{m^4}$ certo non esse minorem quam $\frac{2}{3}$, si modo suppositio art. praec. locum habeat.

12.

Denotantibus x, x', x'' etc. indefinite errores observationum eiusdem generis ab invicem independentes, quorum probabilitates relativas exprimit praefixa characteristica φ; nec non y functionem datam rationalem indeterminatarum x, x', x'' etc.: integrale multiplex (I)

$$\int \varphi x . \varphi x' . \varphi x'' \ldots\ldots \mathrm{d}x . \mathrm{d}x' . \mathrm{d}x'' \ldots$$

extensum per omnes valores indeterminatarum x, x', x'', pro quibus valor ipsius y cadit intra limites datos 0 et η, exprimet probabilitatem valoris ipsius y indefinite intra 0 et η siti. Manifesto hoc integrale erit functio ipsius η, cuius differentiale statuemus $= \psi\eta . \mathrm{d}\eta$, ita ut integrale ipsum fiat aequale integrali $\int \psi\eta . \mathrm{d}\eta$ ab $\eta = 0$ incepto. Hoc pacto simul characteristica $\psi\eta$ probabilitatem relativam cuiusvis valoris ipsius y exprimere censenda est. Quum x considerari possit tamquam functio indeterminatarum y, x', x'' etc., quam statuemus

$$= f(y, x', x'' \ldots .)$$

integrale (I) fiet

$$= \int \varphi . f(y, x', x'' \ldots .) . \frac{\mathrm{d}f(y, x', x'' \ldots .)}{\mathrm{d}y} . \varphi x' . \varphi x'' \ldots . \mathrm{d}y . \mathrm{d}x' . \mathrm{d}x'' \ldots .$$

ubi y extendi debet ab $y = 0$ usque ad $y = \eta$, indeterminatae reliquae vero per omnes valores, quibus respondet valor realis ipsius $f(y, x', x'' \ldots .)$. Hinc

colligitur

$$\psi y = \int \varphi . f(y, x', x'' \ldots .) . \frac{\mathrm{d}f(y, x', x'' \ldots .)}{\mathrm{d}y} . \varphi x' . \varphi x'' \ldots . \mathrm{d}x' . \mathrm{d}x'' \ldots .$$

integratione, in qua y tamquam constans considerari debet, extensa per omnes valores indeterminatarum x', x'' etc., qui ipsi $f(y, x', x'' \ldots .)$ valorem realem conciliant.

13.

Ad hanc integrationem reipsa exsequendam cognitio functionis φ requireretur, quae plerumque incognita est: quin adeo, etiamsi haec functio cognita esset, in plerisque casibus integratio vires analyseos superaret. Quae quum ita sint, probabilitatem quidem singulorum valorum ipsius y assignare non poterimus: at secus res se habebit, si tantummodo desideratur valor medius ipsius y, qui oritur ex integratione $\int y\psi y . \mathrm{d}y$ per omnes valores ipsius y, quos quidem assequi potest, extensa. Et quum manifesto pro omnibus valoribus, quos y assequi nequit, vel per naturam functionis, quam exprimit (e. g. pro negativis, si esset $y = xx + x'x' + x''x'' + \text{etc.}$), vel ideo, quod erroribus ipsis x, x', x'' etc. certi limites sunt positi, statuere oporteat $\psi y = 0$, manifesto res perinde se habebit, si integratio illa extendatur per omnes valores reales ipsius y, puta ab $y = -\infty$ usque ad $y = +\infty$. Iam integrale $\int y\psi y . \mathrm{d}y$ inter limites determinatos, puta ab $y = \eta$ usque ad $y = \eta'$ sumtum aequale est integrali

$$\int y\varphi . f(y, x', x'' \ldots .) . \frac{\mathrm{d}f(y, x', x'' \ldots .)}{\mathrm{d}y} . \varphi x' . \varphi x'' \ldots . \mathrm{d}y . \mathrm{d}x' . \mathrm{d}x'' \ldots .$$

integratione extensa ab $y = \eta$ usque ad $y = \eta'$, atque per omnes valores indeterminatarum x', x'' etc., quibus respondet valor realis ipsius $f(y, x', x'' \ldots .)$, sive quod idem est, valori integralis

$$\int y\varphi x . \varphi x' . \varphi x'' \ldots . \mathrm{d}x . \mathrm{d}x' . \mathrm{d}x'' \ldots .$$

adhibendo in hac integratione pro y eius valorem per x, x', x'' etc. expressum, extendendoque eam per omnes harum indeterminatarum valores, quibus respondet valor ipsius y inter η et η' situs. Hinc colligimus, integrale $\int y\psi y . \mathrm{d}y$ per omnes valores ipsius y, ab $y = -\infty$ usque ad $y = +\infty$ extensum obtineri ex integratione

$$\int y\varphi x . \varphi x' . \varphi x'' \ldots . \mathrm{d}x . \mathrm{d}x' . \mathrm{d}x'' \ldots .$$

per omnes valores reales ipsarum x, x', x'' etc. extensa, puta ab $x = -\infty$ usque ad $x = +\infty$, ab $x' = -\infty$ usque ad $x' = +\infty$ etc.

14.

Reducta itaque functione y ad formam aggregati talium partium

$$Ax^{\alpha}x'^{\beta}x''^{\gamma}\ldots.$$

valor integralis $\int y\psi y.\mathrm{d}y$ per omnes valores ipsius y extensi, seu valor medius ipsius y, aequalis erit aggregato partium

$$A\times\int x^{\alpha}\varphi x.\mathrm{d}x\times\int x'^{\beta}\dot{\varphi}x'.\mathrm{d}x'\times\int x''^{\gamma}\varphi x''.\mathrm{d}x''\ldots.$$

ubi integrationes extendendae sunt ab $x = -\infty$ usque ad $x = +\infty$, ab $x' = -\infty$ usque ad $x' = +\infty$ etc.; sive quod eodem redit, aggregato partium quae oriuntur, dum pro singulis potestatibus x^{α}, x'^{β}, x''^{γ} etc. ipsarum valores medii substituuntur, cuius theorematis gravissimi veritas etiam ex aliis considerationibus facile derivari potuisset.

15.

Applicemus ea, quae in art. praec. exposuimus, ad casum specialem, ubi

$$y = \frac{xx+x'x'+x''x''+\text{ etc.}}{\mathfrak{o}}$$

denotante $\mathfrak{o}$ multitudinem partium in numeratore. Valor medius ipsius y hic illico invenitur $= mm$, accipiendo characterem m in eadem significatione ac supra. Valor verus quidem ipsius y in casu determinato maior minorve evadere potest medio, perinde ac valor verus termini simplicis xx: sed probabilitas quod valor fortuitus ipsius y a medio mm haud sensibiliter aberret, continuo magis ad certitudinem appropinquabit crescente multitudine $\mathfrak{o}$. Quod quo clarius eluceat, quum probabilitatem ipsam exacte determinare non sit in potestate, investigemus errorem medium metuendum, dum supponimus $y = mm$. Manifesto per principia art. 6 hic error erit radix quadrata valoris medii functionis

$$\left(\frac{xx+x'x'+x''x''+\text{ etc.}}{\mathfrak{o}} - mm\right)^2$$

ad quem eruendum sufficit observare, valorem medium termini talis $\frac{x^4}{\mathfrak{o}\mathfrak{o}}$ esse $= \frac{n^4}{\mathfrak{o}\mathfrak{o}}$ (utendo charactere n in significatione art. 11), valorem medium autem termini

talis $\frac{2xx'x'}{\mathfrak{o}\mathfrak{o}}$ fieri $= \frac{2m^4}{\mathfrak{o}\mathfrak{o}}$, unde facillime deducitur valor medius istius functionis

$$= \frac{n^4-m^4}{\mathfrak{o}}$$

Hinc discimus, si copia satis magna errorum fortuitorum ab invicem independentium x, x', x'' etc. in promtu sit, magna certitudine inde peti posse valorem approximatum ipsius m per formulam

$$m = \sqrt{\frac{(xx+x'x'+x''x''+\text{ etc.})}{\mathfrak{o}}}$$

erroremque medium in hac determinatione metuendum, respectu quadrati mm, esse

$$= \sqrt{\frac{n^4-m^4}{\mathfrak{o}}}$$

Ceterum, quum posterior formula implicet quantitatem n, si id tantum agitur, ut idea qualiscunque de gradu praecisionis istius determinationis formari possit, sufficiet, aliquam hypothesin respectu functionis φ amplecti. E.g. in hypothesi tertia art. 9, 11 iste error fit $= mm\sqrt{\frac{2}{\mathfrak{o}}}$. Quod si minus arridet, valor approximatus ipsius n^4 ex ipsis erroribus adiumento formulae

$$\frac{x^4+x'^4+x''^4+\text{ etc.}}{\mathfrak{o}}$$

peti poterit. Generaliter autem affirmare possumus, praecisionem duplicatam in ista determinatione requirere errorum copiam quadruplicatam, sive pondus determinationis ipsi multitudini $\mathfrak{o}$ esse proportionale.

Prorsus simili modo, si observationum errores partem constantem involvunt, huius valor approximatus eo tutius e medio arithmetico multorum errorum colligi poterit, quo maior horum multitudo fuerit. Et quidem error medius in hac determinatione metuendus exprimetur per

$$\sqrt{\frac{mm-kk}{\mathfrak{o}}}$$

si k designat partem constantem ipsam atque m errorem medium observationum parte constante nondum purgatarum, sive simpliciter per $\frac{m}{\sqrt{\mathfrak{o}}}$, si m denotat errorem medium observationum a parte constante liberatarum (v. art. 8).

16.

In artt. 12—15 supposuimus, errores x, x', x'' etc. ad idem observationum genus pertinere, ita ut singulorum probabilitates per eandem functionem expri-

mantur. Sed sponte patet, disquisitionem generalem artt. 12—14 aeque facile ad casum generaliorem extendi, ubi probabilitates errorum x, x', x'' etc. per functiones diversas φx, $\varphi' x'$, $\varphi'' x''$ etc. exprimantur, i. e. ubi errores illi pertineant ad observationes praecisionis seu incertitudinis diversae. Supponamus, x esse errorem observationis talis, cuius error medius metuendus sit $= m$; nec non x', x'' etc. esse errores aliarum observationum, quarum errores medii metuendi resp. sint m', m'' etc. Tunc valor medius aggregati $xx + x'x' + x''x'' +$ etc. erit $mm + m'm' + m''m'' +$ etc. Iam si aliunde constat, quantitates m, m', m'' etc. esse in ratione data, puta numeris 1, μ', μ'' etc. resp. proportionales, valor medius expressionis

$$\frac{xx + x'x' + x''x'' + \text{etc.}}{1 + \mu'\mu' + \mu''\mu'' + \text{etc.}}$$

erit $= mm$. Si vero valorem eiusdem expressionis determinatum, prout fors errores x, x', x'' etc. offert, ipsi mm aequalem ponimus, error medius, cui haec determinatio obnoxia manet, simili ratione ut in art. praec. invenitur

$$= \frac{\sqrt{(n^4 + n'^4 + n''^4 + \text{etc.} - m^4 - m'^4 - m''^4 - \text{etc.})}}{1 + \mu'\mu' + \mu''\mu'' + \text{etc.}}$$

ubi n', n'' etc. respectu observationum, ad quas pertinent errores x', x'' etc., idem denotare supponuntur, atque n respectu observationis primae. Quodsi itaque numeros n, n', n'' etc. ipsis m, m', m'' etc. proportionales supponere licet, error ille metuendus medius fit

$$= \frac{\sqrt{(n^4 - m^4)} \cdot \sqrt{(1 + \mu'^4 + \mu''^4 + \text{etc.})}}{1 + \mu'\mu' + \mu''\mu'' + \text{etc.}}$$

At haecce ratio, valorem approximatum ipsius m determinandi non est ea, quae maxime ad rem facit. Quod quo clarius ostendamus, consideremus expressionem generaliorem

$$y = \frac{xx + \alpha'x'x' + \alpha''x''x'' + \text{etc.}}{1 + \alpha'\mu'\mu' + \alpha''\mu''\mu'' + \text{etc.}}$$

cuius valor medius quoque erit $= mm$, quomodocunque eligantur coëfficientes α', α'' etc. Error autem medius metuendus, dum valorem determinatum ipsius y, prout fors errores x, x', x'' etc. offert, ipsi mm aequalem supponimus, invenitur per principia supra tradita

$$= \frac{\sqrt{(n^4 - m^4 + \alpha'\alpha'(n'^4 - m'^4) + \alpha''\alpha''(n''^4 - m''^4) + \text{etc.})}}{1 + \alpha'\mu'\mu' + \alpha''\mu''\mu'' + \text{etc.}}$$

Ut hic error medius fiat quam minimus, statuere oportebit

$$\alpha' = \frac{n^4 - m^4}{n'^4 - m'^4} \cdot \mu'\mu'$$
$$\alpha'' = \frac{n^4 - m^4}{n''^4 - m''^4} \cdot \mu''\mu'' \text{ etc.}$$

Manifesto hi valores evolvi nequeunt, nisi insuper ratio quantitatum n, n', n'' etc. ad m, m', m'' etc. aliunde nota fuerit; qua cognitione exacta deficiente, saltem tutissimum videtur*), illas his proportionales supponere (v. art. 11), unde prodeunt valores

$$\alpha' = \frac{1}{\mu'\mu'}, \quad \alpha'' = \frac{1}{\mu''\mu''} \text{ etc.}$$

i. e. coëfficientes α', α'' etc. aequales statui debent ponderibus relativis observationum, ad quas pertinent errores x', x'' etc., assumto pondere observationis, ad quam pertinet error x, pro unitate. Hoc pacto, designante ut supra σ multitudinem errorum propositorum, habebimus valorem medium expressionis

$$\frac{xx + \alpha'x'x' + \alpha''x''x'' + \text{etc.}}{\sigma}$$

$= mm$, atque errorem medium metuendum, dum valorem fortuito determinatum huius expressionis pro valore vero ipsius mm adoptamus

$$\frac{\sqrt{(n^4 + \alpha'\alpha'n'^4 + \alpha''\alpha''n''^4 + \text{etc.} - \sigma m^4)}}{\sigma}$$

et proin, siquidem licet, ipsas n, n', n'' etc. ipsis m, m', m'' proportionales supponere,

$$= \sqrt{\frac{n^4 - m^4}{\sigma}}$$

quae formula identica est cum ea, quam supra pro casu observationum eiusdem generis inveneramus.

17.

Si valor quantitatis, quae ab alia quantitate incognita pendet, per observa-

*) Scilicet cognitionem quantitatum μ', μ'' etc. in eo solo casu in potestate esse concipimus, ubi per rei naturam errores x, x', x'' etc. ipsis 1, μ', μ'' etc. proportionales, aeque probabiles censendi sunt, aut potius ubi

$$\varphi x = \mu'\varphi'(\mu' x) = \mu''\varphi''(\mu'' x) \text{ etc.}$$

tionem praecisione absoluta non gaudentem determinata est, valor incognitae hinc calculatus etiam errori obnoxius erit, sed nihil in hac determinatione arbitrio relinquitur. At si *plures* quantitates ab eadem incognita pendentes per observationes haud absolute exactas innotuerunt, valorem incognitae vel per quamlibet harum observationum eruere possumus, vel per aliquam plurium observationum combinationem, quod infinitis modis diversis fieri potest. Quamquam vero valor incognitae tali modo prodiens errori semper obnoxius manet, tamen in alia combinatione maior, in alia minor error metuendus erit. Similiter res se habebit, si plures quantitates a pluribus incognitis simul pendentes sunt observatae: prout observationum multitudo multitudini incognitarum vel aequalis, vel hac minor vel maior fuerit, problema vel determinatum, vel indeterminatum, vel plus quam determinatum erit (generaliter saltem loquendo), et in casu tertio ad incognitarum determinationem observationes infinitis modis diversis combinari poterunt. E tali combinationum varietate eas eligere, quae maxime ad rem faciant, i. e. quae incognitarum valores erroribus minimis obnoxios suppeditent, problema sane est in applicatione matheseos ad philosophiam naturalem longe gravissimum.

In Theoria motus corporum coelestium ostendimus, quomodo valores incognitarum *maxime probabiles* eruendi sint, si lex probabilitatis errorum observationum cognita sit; et quum haec lex natura sua in omnibus fere casibus hypothetica maneat, theoriam illam ad legem maxime plausibilem applicavimus, ubi probabilitas erroris x quantitati exponentiali e^{-hhxx} proportionalis supponitur, unde methodus a nobis dudum in calculis praesertim astronomicis, et nunc quidem a plerisque calculatoribus sub nomine methodi quadratorum minimorum usitata demanavit.

Postea ill. LAPLACE, rem alio modo aggressus, idem principium omnibus aliis etiamnum praeferendum esse docuit, quaecunque fuerit lex probabilitatis errorum, si modo observationum multitudo sit permagna. At pro multitudine observationum modica, res intacta mansit, ita ut si lex nostra hypothetica respuatur, methodus quadratorum minimorum eo tantum nomine prae aliis commendabilis habenda sit, quod calculorum concinnitati maxime est adaptata.

Geometris itaque gratum fore speramus, si in hac nova argumenti tractatione docuerimus, methodum quadratorum minimorum exhibere combinationem ex omnibus optimam, non quidem proxime, sed absolute, quaecunque fuerit lex probabilitatis errorum, quaecunque observationum multitudo, si modo notionem

erroris medii non ad mentem ill. LAPLACE, sed ita, ut in artt. 5 et 6 a nobis factum est, stabiliamus.

Ceterum expressis verbis hic praemonere convenit, in omnibus disquisitionibus sequentibus tantummodo de erroribus irregularibus atque a parte constante liberis sermonem esse, quum proprie ad perfectam artem observandi pertineat, omnes errorum constantium caussas summo studio amovere. Quaenam vero subsidia calculator tales observationes tractare suscipiens, quas ab erroribus constantibus non liberas esse iusta suspicio adest, ex ipso calculo probabilium petere possit, disquisitioni peculiari alia occasione promulgandae reservamus.

18.

PROBLEMA. *Designante U functionem datam quantitatum incognitarum V, V', V'' etc., quaeritur error medius M in determinatione valoris ipsius U metuendus, si pro V, V', V'' etc. adoptentur non valores veri, sed ii, qui ex observationibus ab invicem independentibus, erroribus mediis m, m', m'' etc. resp. obnoxiis prodeunt.*

Sol. Denotatis erroribus in valoribus observatis ipsarum V, V', V'' etc. per e, e', e'' etc., error inde redundans in valorem ipsius U exprimi poterit per functionem linearem

$$\lambda e + \lambda' e' + \lambda'' e'' + \text{etc.} = E$$

ubi λ, λ', λ'' etc. sunt valores quotientium differentialium $\frac{dU}{dV}$, $\frac{dU}{dV'}$, $\frac{dU}{dV''}$ etc. pro valoribus veris ipsarum V, V', V'' etc., siquidem observationes satis exactae sunt, ut errorum quadrata productaque negligere liceat. Hinc primo sequitur, quoniam observationum errores a partibus constantibus liberi supponuntur, valorem medium ipsius E esse $= 0$. Porro error medius in valore ipsius U metuendus erit radix quadrata e valore medio ipsius EE, sive MM erit valor medius aggregati

$$\lambda\lambda ee + \lambda'\lambda' e'e' + \lambda''\lambda'' e''e'' + \text{etc.} + 2\lambda\lambda' ee' + 2\lambda\lambda'' ee'' + 2\lambda'\lambda'' e'e'' + \text{etc.}$$

At valor medius ipsius $\lambda\lambda ee$ fit $\lambda\lambda mm$, valor medius ipsius $\lambda'\lambda' e'e'$ fit $= \lambda'\lambda' m'm'$ etc.; denique valores medii productorum $2\lambda\lambda' ee'$ etc. omnes fiunt $= 0$. Hinc itaque colligimus

$$M = \sqrt{(\lambda\lambda mm + \lambda'\lambda' m'm' + \lambda''\lambda'' m''m'' + \text{etc.})}$$

Huic solutioni quasdam annotationes adiicere conveniet.

I. Quatenus spectando observationum errores tanquam quantitates primi ordinis, quantitates ordinum altiorum negliguntur, in formula nostra pro $\lambda, \lambda', \lambda''$ etc. etiam valores eos quotientium $\frac{dU}{dV}$ etc. adoptare licebit, qui prodeunt e valoribus observatis quantitatum V, V', V'' etc. Quoties U est functio linearis, manifesto nulla prorsus erit differentia.

II. Si loco errorum mediorum observationum, harum pondera introducere malumus, sint haec, secundum unitatem arbitrariam, resp. p, p', p'' etc., atque P pondus determinationis valoris ipsius U e valoribus observatis quantitatum V, V', V'' etc. prodeuntis. Ita habebimus

$$P = \frac{1}{\frac{\lambda\lambda}{p} + \frac{\lambda'\lambda'}{p'} + \frac{\lambda''\lambda''}{p''} + \text{etc.}}$$

III. Si T est functio alia data quantitatum V, V', V'' etc. atque, pro harum valoribus veris,

$$\frac{dT}{dV} = \varkappa, \quad \frac{dT}{dV'} = \varkappa', \quad \frac{dT}{dV''} = \varkappa'' \text{ etc.}$$

error in determinatione valoris ipsius T, e valoribus observatis ipsarum V, V', V'' etc. petita, erit $= \varkappa e + \varkappa' e' + \varkappa'' e'' +$ etc., $= E'$, atque error medius in ista determinatione metuendus $= \sqrt{(\varkappa\varkappa mm + \varkappa'\varkappa' m'm' + \varkappa''\varkappa'' m''m'' +}$ etc.). Errores E, E' vero manifesto ab invicem iam non erunt independentes, valorque medius producti EE', secus ac valor medius producti ee', non erit $= 0$, sed $= \varkappa\lambda mm + \varkappa'\lambda' m'm' + \varkappa''\lambda'' m''m'' +$ etc.

IV. Problema nostrum etiam ad casum eum extendere licet, ubi valores quantitatum V, V', V'' etc. non immediate per observationes inveniuntur, sed quomodocunque ex observationum combinationibus derivantur, si modo singularum determinationes ab invicem sunt independentes, i. e. observationibus diversis superstructae: quoties autem haec conditio locum non habet, formula pro M erronea evaderet. E. g. si una alterave observatio, quae ad determinationem valoris ipsius V inserviit, etiam ad valorem ipsius V' determinandum adhibita esset, errores e et e' haud amplius ab invicem independentes forent, neque adeo producti ee' valor medius $= 0$. Si vero in tali casu nexus quantitatum V, V' cum observationibus simplicibus, e quibus deductae sunt, rite perpenditur, valor

medius producti ee' adiumento annotationis III. assignari, atque sic formula pro M completa reddi poterit.

19.

Sint V, V', V'' etc. functiones incognitarum x, y, z etc., multitudo illarum $= \pi$, multitudo incognitarum $= \rho$, supponamusque, per observationes vel immediate vel mediate valores functionum inventos esse $V = L$, $V' = L'$, $V'' = L''$ etc., ita tamen ut hae determinationes ab invicem fuerint independentes. Si ρ maior est quam π, incognitarum evolutio manifesto fit problema indeterminatum; si ρ ipsi π aequalis est, singulae x, y, z etc. in formam functionum ipsarum V, V', V'' etc. redigi vel redactae concipi possunt, ita ut ex harum valoribus observatis valores istarum inveniri possint, simulque adiumento art. praec. praecisionem relativam singulis his determinationibus tribuendam assignare liceat; denique si ρ minor est quam π, singulae x, y, z etc. infinitis modis diversis in formam functionum ipsarum V, V', V'' etc. redigi, adeoque illarum valores infinitis modis diversis erui poterunt. Quae determinationes exacte quidem quadrare deberent, si observationes praecisione absoluta gauderent; quod quum secus se habeat, alii modi alios valores suppeditabunt, nec minus determinationes e combinationibus diversis petitae inaequali praecisione instructae erunt.

Ceterum si in casu secundo vel tertio functiones V, V', V'' etc. ita comparatae essent, ut $\pi = \rho + 1$ ex ipsis, vel plures, tamquam functiones reliquarum spectare liceret, problema respectu posteriorum functionum etiamnum plus quam determinatum esset, respectu incognitarum x, y, z etc. autem indeterminatum; harum scilicet valores ne tunc quidem determinare liceret, quando valores functionum V, V', V'' etc. absolute exacti dati essent: sed hunc casum a disquisitione nostra excludemus.

Quoties V, V', V'' etc. per se non sunt functiones *lineares* indeterminatarum suarum, hoc efficietur, si loco incognitarum primitivarum introducuntur ipsarum differentiae a valoribus approximatis, quos aliunde cognitos esse supponere licet. Errores medios in determinationibus $V = L$, $V' = L'$, $V'' = L''$ etc. metuendos resp. denotabimus per m, m', m'' etc., determinationumque pondera per p, p', p'' et., ita ut sit $pmm = p'm'm' = p''m''m''$ etc. Rationem, quam inter se tenent errores medii, cognitam supponemus, ita ut pondera, quorum unum ad lubitum accipi potest, sint nota. Denique statuemus

$$(V-L)\sqrt{p} = v, \quad (V'-L')\sqrt{p'} = v', \quad (V''-L'')\sqrt{p''} = v'' \text{ etc.}$$

Manifesto itaque res perinde se habebit, ac si observationes immediatae, aequali pracisione gaudentes, puta quarum error medius $= m\sqrt{p} = m'\sqrt{p'} = m''\sqrt{p''}$ etc., sive quibus pondus $= 1$ tribuitur, suppeditavissent

$$v = 0, \quad v' = 0, \quad v'' = 0 \text{ etc.}$$

20.

PROBLEMA. *Designantibus* v, v', v'' *etc. functiones lineares indeterminatarum* x, y, z *etc. sequentes*

$$\left.\begin{aligned} v &= ax + by + cz + \text{etc.} + l \\ v' &= a'x + b'y + c'z + \text{etc.} + l' \\ v'' &= a''x + b''y + c''z + \text{etc.} + l'' \text{ etc.} \end{aligned}\right\} \text{(I)}$$

ex omnibus systematibus coëfficientium $\varkappa, \varkappa', \varkappa''$ *etc., qui indefinite dant*

$$\varkappa v + \varkappa' v' + \varkappa'' v'' + \text{etc.} = x - k$$

ita ut k *sit quantitas determinata i. e. ab* x, y, z *etc. independens, eruere id, pro quo* $\varkappa\varkappa + \varkappa'\varkappa' + \varkappa''\varkappa'' + \text{etc.}$ *nanciscatur valorem minimum.*

Solutio. Statuamus

$$\left.\begin{aligned} av + a'v' + a''v'' + \text{etc.} &= \xi \\ bv + b'v' + b''v'' + \text{etc.} &= \eta \\ cv + c'v' + c''v'' + \text{etc.} &= \zeta \end{aligned}\right\} \text{(II)}$$

etc.: eruntque etiam ξ, η, ζ etc. functiones lineares ipsarum x, y, z etc., puta

$$\left.\begin{aligned} \xi &= x\Sigma aa + y\Sigma ab + z\Sigma ac + \text{etc.} + \Sigma al \\ \eta &= x\Sigma ab + y\Sigma bb + z\Sigma bc + \text{etc.} + \Sigma bl \\ \zeta &= x\Sigma ac + y\Sigma bc + z\Sigma cc + \text{etc.} + \Sigma cl \text{ etc.} \end{aligned}\right\} \text{(III)}$$

(ubi Σaa denotat aggregatum $aa + a'a' + a''a'' + \text{etc.}$, ac perinde de reliquis) multitudoque ipsarum ξ, η, ζ etc. multitudini indeterminatarum x, y, z etc. aequalis, puta $= \rho$. Per eliminationem itaque elici poterit aequatio talis*)

*) Ratio, cur ad denotandos coëfficientes e tali eliminatione prodeuntes, hos potissimum characteres elegerimus, infra elucebit.

$$x = A + [\alpha\alpha]\xi + [\alpha\beta]\eta + [\alpha\gamma]\zeta + \text{etc.}$$

in qua substituendo pro ξ, η, ζ etc. valores earum ex III, aequatio identica prodire debet. Quare statuendo

$$\left.\begin{aligned} a[\alpha\alpha] + b[\alpha\beta] + c[\alpha\gamma] + \text{etc.} &= \alpha \\ a'[\alpha\alpha] + b'[\alpha\beta] + c'[\alpha\gamma] + \text{etc.} &= \alpha' \\ a''[\alpha\alpha] + b''[\alpha\beta] + c''[\alpha\gamma] + \text{etc.} &= \alpha'' \text{ etc.} \end{aligned}\right\} \text{(IV)}$$

necessario erit indefinite

$$\alpha v + \alpha' v' + \alpha'' v'' + \text{etc.} = x - A \quad \text{(V)}$$

Haec aequatio docet, inter systemata valorum coëfficientium $\varkappa, \varkappa', \varkappa''$ etc. certo etiam referendos esse hos $\varkappa = \alpha$, $\varkappa' = \alpha'$, $\varkappa'' = \alpha''$ etc., nec non, pro systemate quocunque, fieri debere indefinite

$$(\varkappa - \alpha)v + (\varkappa' - \alpha')v' + (\varkappa'' - \alpha'')v'' + \text{etc.} = A - k$$

quae aequatio implicat sequentes

$$\begin{aligned} (\varkappa - \alpha)a + (\varkappa' - \alpha')a' + (\varkappa'' - \alpha'')a'' + \text{etc.} &= 0 \\ (\varkappa - \alpha)b + (\varkappa' - \alpha')b' + (\varkappa'' - \alpha'')b'' + \text{etc.} &= 0 \\ (\varkappa - \alpha)c + (\varkappa' - \alpha')c' + (\varkappa'' - \alpha'')c'' + \text{etc.} &= 0 \text{ etc.} \end{aligned}$$

Multiplicando has aequationes resp. per $[\alpha\alpha]$, $[\alpha\beta]$, $[\alpha\gamma]$ etc., et addendo, obtinemus propter (IV)

$$(\varkappa - \alpha)\alpha + (\varkappa' - \alpha')\alpha' + (\varkappa'' - \alpha'')\alpha'' + \text{etc.} = 0$$

sive quod idem est

$$\begin{aligned} &\varkappa\varkappa + \varkappa'\varkappa' + \varkappa''\varkappa'' + \text{etc.} \\ &= \alpha\alpha + \alpha'\alpha' + \alpha''\alpha'' + \text{etc.} + (\varkappa - \alpha)^2 + (\varkappa' - \alpha')^2 + (\varkappa'' - \alpha'')^2 + \text{etc.} \end{aligned}$$

unde patet, aggregatum $\varkappa\varkappa + \varkappa'\varkappa' + \varkappa''\varkappa'' + \text{etc.}$ valorem minimum obtinere, si statuatur $\varkappa = \alpha$, $\varkappa' = \alpha'$, $\varkappa'' = \alpha''$ etc. Q. E. I.

Ceterum hic valor minimus ipse sequenti modo eruitur. Aequatio (V) docet, esse

$$\begin{aligned}&\alpha a+\alpha' a'+\alpha'' a''+\text{ etc.} = 1\\ &\alpha b+\alpha' b'+\alpha'' b''+\text{ etc.} = 0\\ &\alpha c+\alpha' c'+\alpha'' c''+\text{ etc.} = 0 \text{ etc.}\end{aligned}$$

Multiplicando has aequationes resp. per $[\alpha\alpha]$, $[\alpha\mathfrak{b}]$, $[\alpha\gamma]$ etc. et addendo, protinus habemus adiumento aequationum (IV)

$$\alpha\alpha+\alpha'\alpha'+\alpha''\alpha''+\text{ etc.} = [\alpha\alpha]$$

21.

Quum observationes suppeditaverint aequationes (proxime veras) $v = 0$, $v' = 0$, $v'' = 0$ etc., ad valorem incognitae x inde eliciendum combinatio illarum aequationum talis

$$\varkappa v+\varkappa' v'+\varkappa'' v''+\text{ etc.} = 0$$

adhibenda est, quae ipsi x coëfficientem 1 conciliet, incognitasque reliquas y, z etc. eliminet; cui determinationi per art. 18 pondus

$$= \frac{1}{\varkappa\varkappa+\varkappa'\varkappa'+\varkappa''\varkappa''+\text{ etc.}}$$

tribuendum erit. Ex art. praec. itaque sequitur, determinationem maxime idoneam eam fore, ubi statuatur $\varkappa = \alpha$, $\varkappa' = \alpha'$, $\varkappa'' = \alpha''$ etc. Hoc pacto x obtinet valorem A, manifestoque idem valor etiam (absque cognitione multiplicatorum α, α', α'' etc.) protinus per eliminationem ex aequationibus $\xi = 0$, $\eta = 0$, $\zeta = 0$ etc. elici potest. Pondus huic determinationi tribuendum erit $= \frac{1}{[\alpha\alpha]}$, sive error medius in ipsa metuendus

$$= m\sqrt{p}[\alpha\alpha] = m'\sqrt{p'}[\alpha\alpha] = m''\sqrt{p''}[\alpha\alpha] \text{ etc.}$$

Prorsus simili modo determinatio maxime idonea incognitarum reliquarum y, z etc. eosdem valores ipsis conciliabit, qui per eliminationem ex iisdem aequationibus $\xi = 0$, $\eta = 0$, $\zeta = 0$ etc. prodeunt.

Denotando aggregatum indefinitum $vv+v'v'+v''v''$ etc., sive quod idem est hoc

$$p(V-L)^2+p'(V'-L')^2+p''(V''-L'')^2+\text{ etc.}$$

per Ω, patet, 2ξ, 2η, 2ζ etc. esse quotientes differentiales partiales functionis Ω, puta

$$2\xi = \frac{\mathrm{d}\Omega}{\mathrm{d}x}, \quad 2\eta = \frac{\mathrm{d}\Omega}{\mathrm{d}y}, \quad 2\zeta = \frac{\mathrm{d}\Omega}{\mathrm{d}z} \text{ etc.}$$

Quapropter valores incognitarum ex observationum combinatione maxime idonea prodeuntes, quos *valores maxime plausibiles* commode vocare possumus, identici erunt cum iis, per quos Ω valorem minimum obtinet. Iam $V-L$ indefinite exprimit differentiam inter valorem computatum et observatum. Valores itaque incognitarum maxime plausibiles iidem erunt, qui summam quadratorum differentiarum inter quantitatum V, V', V'' etc. valores observatos et computatos, per observationum pondera multiplicatorum, minimam efficiunt, quod principium in *Theoria Motus Corporum Coelestium* longe alia via stabiliveramus. Et si insuper praecisio relativa singularum determinationum assignanda est, per eliminationem indefinitam ex aequationibus (III) ipsas x, y, z etc. in tali forma exhibere oportet:

$$\left.\begin{aligned}x &= A+[\alpha\alpha]\xi+[\alpha\mathfrak{b}]\eta+[\alpha\gamma]\zeta+\text{ etc.}\\ y &= B+[\mathfrak{b}\alpha]\xi+[\mathfrak{b}\mathfrak{b}]\eta+[\mathfrak{b}\gamma]\zeta+\text{ etc.}\\ z &= C+[\gamma\alpha]\xi+[\gamma\mathfrak{b}]\eta+[\gamma\gamma]\zeta+\text{ etc.}\\ &\text{etc.}\end{aligned}\right\} \text{ (VII)}$$

quo pacto valores maxime plausibiles incognitarum x, y, z etc. erunt resp. A, B, C etc., atque pondera his determinationibus tribuenda $\frac{1}{[\alpha\alpha]}$, $\frac{1}{[\mathfrak{b}\mathfrak{b}]}$, $\frac{1}{[\gamma\gamma]}$ etc., sive errores medii in ipsis metuendi

$$\begin{aligned}&\text{pro } x \ldots\ldots m\sqrt{p}[\alpha\alpha] = m'\sqrt{p'}[\alpha\alpha] = m''\sqrt{p''}[\alpha\alpha] \text{ etc.}\\ &\text{pro } y \ldots\ldots m\sqrt{p}[\mathfrak{b}\mathfrak{b}] = m'\sqrt{p'}[\mathfrak{b}\mathfrak{b}] = m''\sqrt{p''}[\mathfrak{b}\mathfrak{b}] \text{ etc.}\\ &\text{pro } z \ldots\ldots m\sqrt{p}[\gamma\gamma] = m'\sqrt{p'}[\gamma\gamma] = m''\sqrt{p''}[\gamma\gamma] \text{ etc.}\\ &\text{etc.}\end{aligned}$$

quod convenit cum iis, quae in *Theoria Motus Corporum Coelestium* docuimus.

22.

De casu omnium simplicissimo, simul vero frequentissimo, ubi unica incognita adest, atque $V = x$, $V' = x$, $V' = x$ etc., paucis seorsim agere conveniet. Erit scilicet $a = \sqrt{p}$, $a' = \sqrt{p'}$, $a'' = \sqrt{p''}$ etc., $l = -L\sqrt{p}$, $l' = -L'\sqrt{p'}$, $l'' = -L''\sqrt{p''}$ etc., et proin

$$\xi = (p+p'+p''+\text{ etc.})\,x-(pL+p'L'+p''L''+\text{ etc.})$$

Hinc porro

$$[\alpha\alpha] = \frac{1}{p+p'+p''+\text{ etc.}}$$
$$A = \frac{pL+p'L'+p''L''+\text{ etc.}}{p+p'+p''+\text{ etc.}}$$

Si itaque e pluribus observationibus inaequali praecisione gaudentibus, et quarum pondera resp. sunt p, p', p'' etc., valor eiusdem quantitatis inventus est e prima $= L$, e secunda $= L'$, e tertia $= L''$ etc., huius valor maxime plausibilis erit

$$= \frac{pL+p'L'+p''L''+\text{ etc.}}{p+p'+p''+\text{ etc.}}$$

pondusque huius determinationis $= p+p'+p''$ etc. Si omnes observationes aequali praecisione gaudent, valor maxime plausibilis erit

$$= \frac{L+L'+L''+\text{ etc.}}{\pi}$$

i. e. aequalis medio arithmetico valorum observatorum, huiusque determinationis pondus $= \pi$, accepto pondere observationum pro unitate.

THEORIA

COMBINATIONIS OBSERVATIONUM

ERRORIBUS MINIMIS OBNOXIAE

PARS POSTERIOR

AUCTORE

CAROLO FRIDERICO GAUSS

SOCIETATI REGIAE SCIENTIARUM EXHIBITA 1823. FEBR. 2.

Commentationes societatis regiae scientiarum Gottingensis recentiores. Vol. V.
Gottingae MDCCCXXIII.

THEORIA

COMBINATIONIS OBSERVATIONUM

ERRORIBUS MINIMIS OBNOXIAE.

PARS POSTERIOR.

23.

Plures adhuc supersunt disquisitiones, per quas theoria praecedens tum illustrabitur tum ampliabitur.

Ante omnia investigare oportet, num negotium eliminationis, cuius adiumento indeterminatae x, y, z etc. per ξ, η, ζ etc. exprimendae sunt, semper sit possibile. Quum multitudo illarum multitudini harum aequalis sit, e theoria eliminationis in aequationibus linearibus constat, illam eliminationem, si ξ, η, ζ etc. ab invicem independentes sint, certo possibilem fore; sin minus, impossibilem. Supponamus aliquantisper, ξ, η, ζ etc. non esse ab invicem independentes, sed exstare inter ipsas aequationem identicam

$$0 = F\xi + G\eta + H\zeta + \text{etc.} + K$$

Habebimus itaque

$$\begin{aligned} F\Sigma aa + G\Sigma ab + H\Sigma ac + \text{etc.} &= 0 \\ F\Sigma ab + G\Sigma bb + H\Sigma bc + \text{etc.} &= 0 \\ F\Sigma ac + G\Sigma bc + H\Sigma cc + \text{etc.} &= 0 \end{aligned}$$

etc., nec non

$$F\Sigma al + G\Sigma bl + H\Sigma cl + \text{etc.} = -K$$

Statuendo porro

$$\left.\begin{array}{l} aF+bG+cH+\text{ etc.} = 0 \\ a'F+b'G+c'H+\text{ etc.} = 0' \\ a''F+b''G+c''H+\text{ etc.} = 0'' \end{array}\right\} \text{(I)}$$

etc., eruitur

$$\begin{array}{l} a0+a'0'+a''0''+\text{ etc.} = 0 \\ b0+b'0'+b''0''+\text{ etc.} = 0 \\ c0+c'0'+c''0''+\text{ etc.} = 0 \end{array}$$

etc., nec non

$$l0+l'0'+l''0''+\text{ etc.} = -K$$

Multiplicando itaque aequationes (I) resp. per $0, 0', 0''$ etc., et addendo, obtinemus:

$$0 = 00+0'0'+0''0''+\text{ etc.}$$

quae aequatio manifesto consistere nequit, nisi simul fuerit $0 = 0$, $0' = 0$, $0'' = 0$ etc. Hinc primo colligimus, necessario esse debere $K = 0$. Dein aequationes (I) docent, functiones v, v', v'' etc. ita comparatas esse, ut ipsarum valores non mutentur, si valores quantitatum x, y, z etc. capiant incrementa vel decrementa ipsis F, G, H etc. resp. proportionalia, idemque manifesto de functionibus V, V', V'' etc. valebit. Suppositio itaque consistere nequit, nisi in casu tali, ubi vel e valoribus exactis quantitatum V, V', V'' etc. valores incognitarum x, y, z etc. determinare impossibile fuisset, i. e. ubi problema natura sua fuisset indeterminatum, quem casum a disquisitione nostra exclusimus.

24.

Denotemus per $\mathfrak{0}, \mathfrak{0}', \mathfrak{0}''$ etc. multiplicatores, qui eandem relationem habent ad indeterminatam y, quam habent $\alpha, \alpha', \alpha''$ etc. ad x, puta sit

$$\begin{array}{l} a[\mathfrak{0}\alpha]+b[\mathfrak{0}\mathfrak{0}]+c[\mathfrak{0}\gamma]+\text{ etc.} = \mathfrak{0} \\ a'[\mathfrak{0}\alpha]+b'[\mathfrak{0}\mathfrak{0}]+c'[\mathfrak{0}\gamma]+\text{ etc.} = \mathfrak{0}' \\ a''[\mathfrak{0}\alpha]+b''[\mathfrak{0}\mathfrak{0}]+c''[\mathfrak{0}\gamma]+\text{ etc.} = \mathfrak{0}'' \end{array}$$

etc., ita ut fiat indefinite

$$\mathfrak{0}v+\mathfrak{0}'v'+\mathfrak{0}''v''+\text{ etc.} = y-B$$

Perinde sint $\gamma, \gamma', \gamma''$ etc. multiplicatores similes respectu indeterminatae z, puta

$$\begin{array}{l} a[\gamma\alpha]+b[\gamma\mathfrak{0}]+c[\gamma\gamma]+\text{ etc.} = \gamma \\ a'[\gamma\alpha]+b'[\gamma\mathfrak{0}]+c'[\gamma\gamma]+\text{ etc.} = \gamma' \\ a''[\gamma\alpha]+b''[\gamma\mathfrak{0}]+c''[\gamma\gamma]+\text{ etc.} = \gamma'' \end{array}$$

etc., ita ut fiat indefinite

$$\gamma v+\gamma'v'+\gamma''v''+\text{ etc.} = z-C$$

et sic porro. Hoc pacto, perinde ut iam in art. 20 inveneramus

$$\Sigma\alpha a = 1, \quad \Sigma\alpha b = 0, \quad \Sigma\alpha c = 0, \text{ etc.}, \quad \text{nec non} \quad \Sigma\alpha l = -A$$

etiam habebimus

$$\begin{array}{l} \Sigma\mathfrak{0}a = 0, \quad \Sigma\mathfrak{0}b = 1, \quad \Sigma\mathfrak{0}c = 0, \text{ etc.}, \quad \text{atque} \quad \Sigma\mathfrak{0}l = -B \\ \Sigma\gamma a = 0, \quad \Sigma\gamma b = 0, \quad \Sigma\gamma c = 1, \text{ etc.}, \quad \text{atque} \quad \Sigma\gamma l = -C \end{array}$$

et sic porro. Nec minus, quemadmodum in art. 20 prodiit $\Sigma\alpha\alpha = [\alpha\alpha]$, etiam erit

$$\Sigma\mathfrak{0}\mathfrak{0} = [\mathfrak{0}\mathfrak{0}], \quad \Sigma\gamma\gamma = [\gamma\gamma] \text{ etc.}$$

Multiplicando porro valores ipsorum $\alpha, \alpha', \alpha''$ etc. (art. 20. IV) resp. per $\mathfrak{0}, \mathfrak{0}', \mathfrak{0}''$ etc., et addendo, obtinemus

$$\alpha\mathfrak{0}+\alpha'\mathfrak{0}'+\alpha''\mathfrak{0}'' \text{ etc.} = [\alpha\mathfrak{0}], \quad \text{sive} \quad \Sigma\alpha\mathfrak{0} = [\alpha\mathfrak{0}]$$

Multiplicando autem valores ipsorum $\mathfrak{0}, \mathfrak{0}', \mathfrak{0}''$ etc. resp. per $\alpha, \alpha', \alpha''$ etc., et addendo, perinde prodit

$$\alpha\mathfrak{0}+\alpha'\mathfrak{0}'+\alpha''\mathfrak{0}''+\text{ etc.} = [\mathfrak{0}\alpha], \quad \text{adeoque} \quad [\alpha\mathfrak{0}] = [\mathfrak{0}\alpha]$$

Prorsus simili modo eruitur

$$[\alpha\gamma] = [\gamma\alpha] = \Sigma\alpha\gamma, \quad [\mathfrak{0}\gamma] = [\gamma\mathfrak{0}] = \Sigma\mathfrak{0}\gamma \text{ etc.}$$

25.

Denotemus porro per $\lambda, \lambda', \lambda''$ etc. valores functionum v, v', v'' etc., qui prodeunt, dum pro x, y, z etc. ipsarum valores maxime plausibiles A, B, C etc. substituuntur, puta

$$aA+bB+cC+\text{ etc.}+l=\lambda$$
$$a'A+b'B+c'C+\text{ etc.}+l'=\lambda'$$
$$a''A+b''B+c''C+\text{ etc.}+l''=\lambda''$$

etc.; statuamus praeterea

$$\lambda\lambda+\lambda'\lambda'+\lambda''\lambda''+\text{ etc.}=M$$

ita ut sit M valor functionis Ω valoribus maxime plausibilibus indeterminatarum respondens, adeoque per ea, quae in art. 20 demonstravimus, valor minimus huius functionis. Hinc erit $a\lambda+a'\lambda'+a''\lambda''+$ etc. valor ipsius ξ, valoribus $x=A$, $y=B$, $z=C$ etc. respondens, adeoque $=0$, i. e. habebimus

$$\Sigma a\lambda=0$$

et perinde fiet

$$\Sigma b\lambda=0,\quad \Sigma c\lambda=0 \text{ etc.};\quad \text{nec non } \Sigma\alpha\lambda=0,\quad \Sigma\beta\lambda=0,\quad \Sigma\gamma\lambda=0 \text{ etc.}$$

Denique multiplicando expressiones ipsarum $\lambda, \lambda', \lambda''$ etc. per $\lambda, \lambda', \lambda''$ etc. resp., et addendo, obtinemus $l\lambda+l'\lambda'+l''\lambda''+$ etc. $=\lambda\lambda+\lambda'\lambda'+\lambda''\lambda''+$ etc., sive

$$\Sigma l\lambda=M$$

26.

Substituendo in aequatione $v=ax+by+cz+$ etc. $+l$, pro x, y, z etc. expressiones VII. art. 21, prodibit, adhibitis reductionibus ex praecedentibus obviis,

$$v=\alpha\xi+\beta\eta+\gamma\zeta+\text{ etc.}+\lambda$$

et perinde erit indefinite

$$v'=\alpha'\xi+\beta'\eta+\gamma'\zeta+\text{ etc.}+\lambda'$$
$$v''=\alpha''\xi+\beta''\eta+\gamma''\zeta+\text{ etc.}+\lambda''$$

etc. Multiplicando vel has aequationes, vel aequationes I art. 20 resp. per $\lambda, \lambda', \lambda''$ etc., et addendo, discimus esse indefinite

$$\lambda v+\lambda' v'+\lambda'' v''+\text{ etc.}=M$$

27.

Functio Ω indefinite in pluribus formis exhiberi potest, quas evolvere operae pretium erit. Ac primo quidem quadrando aequationes I art. 20 et addendo, statim fit

$$\Omega=xx\Sigma aa+yy\Sigma bb+zz\Sigma cc+\text{ etc.}+2xy\Sigma ab+2xz\Sigma ac+2yz\Sigma bc+\text{ etc.}$$
$$+2x\Sigma al+2y\Sigma bl+2z\Sigma cl+\text{ etc.}+\Sigma ll$$

quae est forma *prima*.

Multiplicando easdem aequationes resp. per v, v', v'' etc., et addendo, obtinemus:

$$\Omega=\xi x+\eta y+\zeta z+\text{ etc.}+lv+l'v'+l''v''+\text{ etc.}$$

atque hinc, substituendo pro v, v', v'' etc. expressiones in art. praec. traditas,

$$\Omega=\xi x+\eta y+\zeta z+\text{ etc.}-A\xi-B\eta-C\zeta-\text{ etc.}+M$$

sive

$$\Omega=\xi(x-A)+\eta(y-B)+\zeta(z-C)+\text{ etc.}+M$$

quae est forma *secunda*.

Substituendo in forma secunda pro $x-A$, $y-B$, $z-C$ etc. expressiones VII. art. 21, obtinemus formam *tertiam*:

$$\Omega=[\alpha\alpha]\xi\xi+[\beta\beta]\eta\eta+[\gamma\gamma]\zeta\zeta+\text{ etc.}+2[\alpha\beta]\xi\eta+2[\alpha\gamma]\xi\zeta+2[\beta\gamma]\eta\zeta+\text{ etc.}+M$$

His adiungi potest forma *quarta*, ex forma tertia atque formulis art. praec. sponte demanans:

$$\Omega=(v-\lambda)^2+(v'-\lambda')^2+(v''-\lambda'')^2+\text{ etc.}+M,\quad \text{sive}$$
$$\Omega=M+\Sigma(v-\lambda)^2$$

quae forma conditionem minimi directe ob oculos sistit.

28.

Sint e, e', e'' etc. errores in observationibus, quae dederunt $V=L$, $V'=L'$, $V''=L''$ etc., commissi, i. e. sint valores veri functionum V, V', V'' etc. resp. $L-e$, $L'-e'$, $L''-e''$ etc. adeoque valores veri ipsarum v, v', v'' etc. resp. $-e\sqrt{p}$, $-e'\sqrt{p'}$, $-e''\sqrt{p''}$ etc. Hinc valor verus ipsius x erit

$$= A - \alpha e\sqrt{p} - \alpha' e'\sqrt{p'} - \alpha'' e''\sqrt{p''} - \text{etc.}$$

sive error valoris ipsius x, in determinatione maxime idonea commissus, quem per Ex denotare convenit,

$$= \alpha e\sqrt{p} + \alpha' e'\sqrt{p'} + \alpha'' e''\sqrt{p''} + \text{etc.}$$

Perinde error valoris ipsius y in determinatione maxime idonea commissus, quem per Ey denotabimus, erit

$$= \mathfrak{G} e\sqrt{p} + \mathfrak{G}' e'\sqrt{p'} + \mathfrak{G}'' e''\sqrt{p''} + \text{etc.}$$

Valor medius quadrati $(Ex)^2$ invenitur

$$= mmp(\alpha\alpha + \alpha'\alpha' + \alpha''\alpha'' + \text{etc.}) = mmp[\alpha\alpha]$$

valor medius quadrati $(Ey)^2$ perinde $= mmp[\mathfrak{G}\mathfrak{G}]$ etc., ut iam supra docuimus. Iam vero etiam valorem medium *producti* $Ex.Ey$ assignare licet, quippe qui invenitur

$$= mmp(\alpha\mathfrak{G} + \alpha'\mathfrak{G}' + \alpha''\mathfrak{G}'' + \text{etc.}) = mmp[\alpha\mathfrak{G}]$$

Concinne haec ita quoque exprimi possunt. Valores medii quadratorum $(Ex)^2$, $(Ey)^2$ etc. resp. aequales sunt productis ex $\frac{1}{2}mmp$ in quotientes differentialium partialium secundi ordinis

$$\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}\Omega}{\mathrm{d}\xi^2}, \quad \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}\Omega}{\mathrm{d}\eta^2} \text{ etc.}$$

valorque medius producti talis, ut $Ex.Ey$, aequalis est producto ex $\frac{1}{2}mmp$ in quotientem differentialem $\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}\Omega}{\mathrm{d}\xi.\mathrm{d}\eta}$, quatenus quidem Ω tamquam functio indeterminatarum ξ, η, ζ etc. consideratur.

29.

Designet t functionem datam linearem quantitatum x, y, z etc. puta sit

$$t = fx + gy + hz + \text{etc.} + k$$

Valor ipsius t, e valoribus maxime plausibilibus ipsarum x, y, z etc. prodiens hinc erit $= fA + gB + hC + \text{etc.} + k$, quem per K denotabimus. Qui si tamquam valor verus ipsius t adoptatur, error committitur, qui erit

$$= fEx + gEy + hEz + \text{etc.}$$

atque per Et denotabitur. Manifesto valor medius huius erroris fit $= 0$, sive error a parte constante liber erit. At valor medius quadrati $(Et)^2$, sive valor medius aggregati

$$\begin{aligned} &ff(Ex)^2 + 2fg\,Ex.Ey + 2fh\,Ex.Ez + \text{etc.} \\ &\quad + gg(Ey)^2 \quad + 2gh\,Ey.Ez + \text{etc.} \\ &\quad\quad + hh(Ez)^2 \quad + \text{etc. etc.} \end{aligned}$$

per ea, quae in art. praec. exposuimus, aequalis fit producto ex mmp in aggregatum

$$\begin{aligned} &ff[\alpha\alpha] + 2fg[\alpha\mathfrak{G}] + 2fh[\alpha\gamma] + \text{etc.} \\ &\quad + gg[\mathfrak{G}\mathfrak{G}] + 2gh[\mathfrak{G}\gamma] + \text{etc.} \\ &\quad\quad + hh[\gamma\gamma] + \text{etc. etc.} \end{aligned}$$

sive producto ex mmp in valorem functionis $\Omega - M$, qui prodit per substitutiones

$$\xi = f, \quad \eta = g, \quad \zeta = h \text{ etc.}$$

Denotando igitur hunc valorem determinatum functionis $\Omega - M$ per ω, error medius metuendus, dum determinationi $t = K$ adhaeremus, erit $= m\sqrt{p\omega}$, sive pondus huius determinationis $= \frac{1}{\omega}$.

Quum indefinite habeatur

$$\Omega - M = (x - A)\xi + (y - B)\eta + (z - C)\zeta + \text{etc.}$$

patet, ω quoque aequalem esse valori determinato expressionis

$$(x - A)f + (y - B)g + (z - C)h + \text{etc.}$$

sive valori determinato ipsius $t - K$, qui prodit, si indeterminatis x, y, z etc. tribuuntur valores ii, qui respondent valoribus ipsarum ξ, η, ζ etc. his f, g, h etc.

Denique observamus, si t indefinite in formam functionis ipsarum ξ, η, ζ etc. redigatur, ipsius partem constantem necessario fieri $= K$. Quodsi igitur indefinite fit

$$t = F\xi + G\eta + H\zeta + \text{etc.} + K, \quad \text{erit} \quad \omega = fF + gG + hH + \text{etc.}$$

30.

Functio Ω valorem suum *absolute minimum* M, ut supra vidimus, nanciscitur, faciendo $x = A$, $y = B$, $z = C$ etc., sive $\xi = 0$, $\eta = 0$, $\zeta = 0$ etc. Si vero alicui illarum quantitatum valor *alius* iam tributus est, e. g. $x = A + \Delta$, variantibus reliquis Ω assequi potest valorem relative minimum, qui manifesto obtinetur adiumento aequationum

$$x = A + \Delta, \quad \frac{\mathrm{d}\Omega}{\mathrm{d}y} = 0, \quad \frac{\mathrm{d}\Omega}{\mathrm{d}z} = 0 \text{ etc.}$$

Fieri debet itaque $\eta = 0$, $\zeta = 0$ etc., adeoque, quoniam

$$x = A + [\alpha\alpha]\xi + [\alpha\beta]\eta + [\alpha\gamma]\zeta + \text{etc.}, \quad \xi = \frac{\Delta}{[\alpha\alpha]}$$

Simul habebitur

$$y = B + \frac{[\alpha\beta]\Delta}{[\alpha\alpha]}, \quad z = C + \frac{[\alpha\gamma]\Delta}{[\alpha\alpha]} \text{ etc.}$$

Valor relative minimus ipsius Ω autem fit $= [\alpha\alpha]\xi\xi + M = M + \frac{\Delta\Delta}{[\alpha\alpha]}$. Vice versa hinc colligimus, si valor ipsius Ω limitem praescriptum $M + \mu\mu$ non superare debet, valorem ipsius x necessario inter limites $A - \mu\sqrt{[\alpha\alpha]}$ et $A + \mu\sqrt{[\alpha\alpha]}$ contentum esse debere. Notari meretur, $\mu\sqrt{[\alpha\alpha]}$ aequalem fieri errori medio in valore maxime plausibili ipsius x metuendo, si statuatur $\mu = m\sqrt{p}$, i. e. si μ aequalis sit errori medio observationum talium, quibus pondus $= 1$ tribuitur.

Generalius investigemus valorem minimum ipsius Ω, qui pro valore dato ipsius t locum habere potest, denotante t ut in art. praec. functionem linearem $fx + gy + hz + \text{etc.} + k$, et cuius valor maxime plausibilis $= K$: valor praescriptus ipsius t denotetur per $K + \varkappa$. E theoria maximorum et minimorum constat, problematis solutionem petendam esse ex aequationibus

$$\frac{\mathrm{d}\Omega}{\mathrm{d}x} = 0\frac{\mathrm{d}t}{\mathrm{d}x}$$
$$\frac{\mathrm{d}\Omega}{\mathrm{d}y} = 0\frac{\mathrm{d}t}{\mathrm{d}y}$$
$$\frac{\mathrm{d}\Omega}{\mathrm{d}z} = 0\frac{\mathrm{d}t}{\mathrm{d}z} \text{ etc.}$$

sive $\xi = 0f$, $\eta = 0g$, $\zeta = 0h$ etc., designante 0 multiplicatorem adhuc indeterminatum. Quare si, ut in art. praec., statuimus, esse *indefinite*

$$t = F\xi + G\eta + H\zeta + \text{etc.} + K$$

habebimus

$$K + \varkappa = 0(fF + gG + hH + \text{etc.}) + K, \text{ sive}$$
$$0 = \frac{\varkappa}{\omega}$$

accipiendo ω in eadem significatione ut in art. praec. Et quum $\Omega - M$, indefinite, sit functio homogenea secundi ordinis indeterminatarum ξ, η, ζ etc., sponte patet, eius valorem pro $\xi = 0f$, $\eta = 0g$, $\zeta = 0h$ etc. fieri $= 00\omega$, et proin valorem minimum, quem Ω pro $t = K + \varkappa$ obtinere potest, fieri $= M + 00\omega = M + \frac{\varkappa\varkappa}{\omega}$. Vice versa, si Ω debet valorem aliquem praescriptum $M + \mu\mu$ non superare, valor ipsius t necessario inter limites $K - \mu\sqrt{\omega}$ et $K + \mu\sqrt{\omega}$ contentus esse debet, ubi $\mu\sqrt{\omega}$ aequalis fit errori medio in determinatione maxime plausibili ipsius t metuendo, si pro μ accipitur error medius observationum, quibus pondus $= 1$ tribuitur.

31.

Quoties multitudo quantitatum x, y, z etc. paullo maior est, determinatio numerica valorum A, B, C etc. ex aequationibus $\xi = 0$, $\eta = 0$, $\zeta = 0$ etc. per eliminationem vulgarem satis molesta evadit. Propterea in Theoria Motus Corporum Coelestium art. 182 algorithmum peculiarem addigitavimus, atque in *Disquisitione de elementis ellipticis Palladis* (Comm. recent. Soc. Gotting. Vol. I) copiose explicavimus, per quem labor ille ad tantam quantam quidem res fert simplicitatem evehitur. Reducenda scilicet est functio Ω sub formam talem:

$$\frac{u^0u^0}{\mathfrak{A}^0} + \frac{u'u'}{\mathfrak{B}'} + \frac{u''u''}{\mathfrak{C}''} + \frac{u'''u'''}{\mathfrak{D}'''} + \text{etc.} + M$$

ubi divisores $\mathfrak{A}^0$, $\mathfrak{B}'$, $\mathfrak{C}''$, $\mathfrak{D}'''$ etc. sunt quantitates determinatae; u^0, u', u'', u''' etc. autem functiones lineares ipsarum x, y, z etc., quarum tamen secunda u' libera est ab x, tertia u'' libera ab x et y, quarta u''' libera ab x, y et z, et sic porro, ita ut ultima $u^{(\pi-1)}$ solam ultimam indeterminatarum x, y, z etc. implicet, denique coëfficientes, per quos x, y, z etc. resp. multiplicatae sunt in u^0, u', u'' etc., resp. aequales sunt ipsis $\mathfrak{A}^0$, $\mathfrak{B}'$, $\mathfrak{C}''$ etc. Quibus ita factis statuendum est $u^0 = 0$, $u' = 0$, $u'' = 0$, $u''' = 0$ etc., unde valores incognitarum x, y, z etc. inverso ordine commodissime elicientur. Haud opus videtur, algorithmum ipsum, per quem haec transformatio functionis Ω absolvitur, hic denuo repetere.

Sed multo adhuc magis prolixum calculum requirit eliminatio indefinita, cuius adiumento illarum determinationum pondera invenire oportet. Pondus qui-

dem determinationis incognitae ultimae (quae sola ultimam $u^{(\pi-1)}$ ingreditur) per ea, quae in Theoria Motus Corporum Coelestium demonstrata sunt, facile invenitur aequale termino ultimo in serie divisorum $\mathfrak{A}^0$, $\mathfrak{B}'$, $\mathfrak{C}''$ etc.; quapropter plures calculatores, ut eliminationem illam molestam evitarent, deficientibus aliis subsidiis, ita sibi consuluerunt, ut algorithmum, de quo diximus pluries, mutato quantitatum x, y, z etc., ordine, repeterent, singulis deinceps ultimum locum occupantibus. Gratum itaque geometris fore speramus, si modum novum pondera determinationum calculandi, e penitiori argumenti perscrutatione haustum hic exponamus, qui nihil amplius desiderandum relinquere videtur.

32.

Statuamus itaque esse (I)

$$\begin{aligned} u^0 &= \mathfrak{A}^0 x + \mathfrak{B}^0 y + \mathfrak{C}^0 z + \text{etc.} + \mathfrak{L}^0 \\ u' &= \quad\ \mathfrak{B}' y + \mathfrak{C}' z + \text{etc.} + \mathfrak{L}' \\ u'' &= \quad\qquad\ \mathfrak{C}'' z + \text{etc.} + \mathfrak{L}'' \\ &\text{etc.} \end{aligned}$$

Hinc erit indefinite

$$\begin{aligned} \tfrac{1}{2}\mathrm{d}\Omega &= \xi\,\mathrm{d}x + \eta\,\mathrm{d}y + \zeta\,\mathrm{d}z + \text{etc.} \\ &= \tfrac{u^0\,\mathrm{d}u^0}{\mathfrak{A}^0} + \tfrac{u'\,\mathrm{d}u'}{\mathfrak{B}'} + \tfrac{u''\,\mathrm{d}u''}{\mathfrak{C}''} + \text{etc.} \\ &= u^0\left(\mathrm{d}x + \tfrac{\mathfrak{B}^0}{\mathfrak{A}^0}\mathrm{d}y + \tfrac{\mathfrak{C}^0}{\mathfrak{A}^0}\mathrm{d}z + \text{etc.}\right) \\ &\quad + u'\left(\mathrm{d}y + \tfrac{\mathfrak{C}'}{\mathfrak{B}'}\mathrm{d}z + \text{etc.}\right) + u''(\mathrm{d}z + \text{etc.}) + \text{etc.} \end{aligned}$$

unde colligimus (II)

$$\begin{aligned} \xi &= u^0 \\ \eta &= \tfrac{\mathfrak{B}^0}{\mathfrak{A}^0}u^0 + u' \\ \zeta &= \tfrac{\mathfrak{C}^0}{\mathfrak{A}^0}u^0 + \tfrac{\mathfrak{C}'}{\mathfrak{B}'}u' + u'' \\ &\text{etc.} \end{aligned}$$

Supponamus, hinc derivari formulas sequentes (III)

$$\begin{aligned} u^0 &= \xi \\ u' &= A'\xi + \eta \\ u'' &= A''\xi + B''\eta + \zeta \\ &\text{etc.} \end{aligned}$$

Iam e differentiali completo aequationis

$$\Omega = \xi(x - A) + \eta(y - B) + \zeta(z - C) + \text{etc.} + M$$

subtracta aequatione

$$\tfrac{1}{2}\mathrm{d}\Omega = \xi\,\mathrm{d}x + \eta\,\mathrm{d}y + \zeta\,\mathrm{d}z + \text{etc.}$$

sequitur

$$\tfrac{1}{2}\mathrm{d}\Omega = (x - A)\mathrm{d}\xi + (y - B)\mathrm{d}\eta + (z - C)\mathrm{d}\zeta + \text{etc.}$$

quae expressio identica esse debet cum hac ex III demanante:

$$\tfrac{u^0}{\mathfrak{A}^0}\cdot\mathrm{d}\xi + \tfrac{u'}{\mathfrak{B}'}(A'\mathrm{d}\xi + \mathrm{d}\eta) + \tfrac{u''}{\mathfrak{C}''}(A''\mathrm{d}\xi + B''\mathrm{d}\eta + \mathrm{d}\zeta) + \text{etc.}$$

Hinc colligimus (IV)

$$\begin{aligned} x &= \tfrac{u^0}{\mathfrak{A}^0} + A'\cdot\tfrac{u'}{\mathfrak{B}'} + A''\cdot\tfrac{u''}{\mathfrak{C}''} + \text{etc.} + A \\ y &= \quad\ \tfrac{u'}{\mathfrak{B}'} + B''\cdot\tfrac{u''}{\mathfrak{C}''} + \text{etc.} + B \\ z &= \quad\qquad\ \tfrac{u''}{\mathfrak{C}''} + \text{etc.} + C \\ &\text{etc.} \end{aligned}$$

Substituendo in his expressionibus pro u^0, u', u'' etc. valores earum ex III depromtos eliminatio indefinita absoluta erit. Et quidem ad pondera determinanda habebimus (V)

$$\begin{aligned} [\alpha\alpha] &= \tfrac{1}{\mathfrak{A}^0} + \tfrac{A'A'}{\mathfrak{B}'} + \tfrac{A''A''}{\mathfrak{C}''} + \tfrac{A'''A'''}{\mathfrak{D}'''} + \text{etc.} \\ [\beta\beta] &= \quad\ \tfrac{1}{\mathfrak{B}'} + \tfrac{B''B''}{\mathfrak{C}''} + \tfrac{B'''B'''}{\mathfrak{D}'''} + \text{etc.} \\ [\gamma\gamma] &= \quad\qquad\ \tfrac{1}{\mathfrak{C}''} + \tfrac{C'''C'''}{\mathfrak{D}'''} + \text{etc.} \\ &\text{etc.} \end{aligned}$$

quarum formularum simplicitas nihil desiderandum relinquit. Ceterum etiam pro

coëfficientibus reliquis $[\alpha\delta]$, $[\alpha\gamma]$, $[\delta\gamma]$ etc. formulae aeque simplices prodeunt, quas tamen, quum illorum usus sit rarior, hic apponere supersedemus.

33.

Propter rei gravitatem, et ut omnia ad calculum parata sint, etiam formulas explicitas ad determinationem coëfficientium A', A'', A''' etc. B'', B''' etc. etc. hic adscribere visum est. Duplici modo hic calculus adornari potest, quum aequationes identicae prodire debeant, tum si valores ipsarum u^0, u', u'' etc. ex III depromti in II substituuntur, tum ex substitutione valorum ipsarum ξ, η, ζ etc. ex II in III. Prior modus haec formularum systemata subministrat:

$$\frac{\mathfrak{B}^0}{\mathfrak{A}^0}+A'=0$$
$$\frac{\mathfrak{C}^0}{\mathfrak{A}^0}+\frac{\mathfrak{C}'}{\mathfrak{B}'}.A'+A''=0$$
$$\frac{\mathfrak{D}^0}{\mathfrak{A}^0}+\frac{\mathfrak{D}'}{\mathfrak{B}'}.A'+\frac{\mathfrak{D}''}{\mathfrak{C}''}.A''+A'''=0$$

etc. unde inveniuntur A', A'', A''' etc.

$$\frac{\mathfrak{C}'}{\mathfrak{B}'}+B''=0$$
$$\frac{\mathfrak{D}'}{\mathfrak{B}'}+\frac{\mathfrak{D}''}{\mathfrak{C}''}.B''+B'''=0$$

etc. unde inveniuntur B'', B''' etc.

$$\frac{\mathfrak{D}''}{\mathfrak{C}''}+C'''=0$$

etc. unde inveniuntur C''' etc. Et sic porro.

Alter modus has formulas suggerit:

$$\mathfrak{A}^0A'+\mathfrak{B}^0=0$$

unde habetur A'

$$\mathfrak{A}^0A''+\mathfrak{B}^0B''+\mathfrak{C}^0=0$$
$$\mathfrak{B}'B''+\mathfrak{C}'=0$$

unde inveniuntur B'' et A''.

$$\mathfrak{A}^0A'''+\mathfrak{B}^0B'''+\mathfrak{C}^0C'''+\mathfrak{D}^0=0$$
$$\mathfrak{B}'B'''+\mathfrak{C}'C'''+\mathfrak{D}'=0$$
$$\mathfrak{C}''C'''+\mathfrak{D}''=0$$

unde inveniuntur C''', B''', A'''. Et sic porro.

Uterque modus aeque fere commodus est, si pondera determinationum cunctarum x, y, z etc. desiderantur; quoties vero e quantitatibus $[\alpha\alpha]$, $[\delta\delta]$, $[\gamma\gamma]$ etc. una tantum vel altera requiritur, manifesto systema prius longe praeferendum erit.

Ceterum combinatio aequationum I cum IV ad easdem formulas perducit, insuperque calculum duplicem ad eruendos valores maxime plausibiles A, B, C etc. ipsos suppeditat, puta *primo*

$$A=-\frac{\mathfrak{B}^0}{\mathfrak{A}^0}-A'\frac{\mathfrak{B}'}{\mathfrak{C}''}-A''\frac{\mathfrak{B}''}{\mathfrak{C}''}-A'''\frac{\mathfrak{B}'''}{\mathfrak{D}'''}-\text{etc.}$$
$$B=\quad -\frac{\mathfrak{B}'}{\mathfrak{C}''}-B''\frac{\mathfrak{B}''}{\mathfrak{C}''}-B'''\frac{\mathfrak{B}'''}{\mathfrak{D}'''}-\text{etc.}$$
$$C=\quad -\frac{\mathfrak{B}''}{\mathfrak{C}''}-C'''\frac{\mathfrak{B}'''}{\mathfrak{D}'''}-\text{etc.}$$
$$\text{etc.}$$

Calculus alter identicus est cum vulgari, ubi statuitur $u^0=0$, $u'=0$, $u''=0$ etc.

34.

Quae in art. 32 exposuimus, sunt tantummodo casus speciales theorematis generalioris, quod ita se habet:

Theorema. *Designet t functionem linearem indeterminatarum x, y, z etc. hanc*

$$t=fx+gy+hz+\text{etc.}+k$$

quae transmutata in functionem indeterminatarum u^0, u', u'' etc. fiat

$$t=k^0u^0+k'u'+k''u''+\text{etc.}+K$$

Quibus ita se habentibus erit K valor maxime plausibilis ipsius t, atque pondus huius determinationis

$$=\frac{1}{\mathfrak{A}^0k^0k^0+\mathfrak{B}'k'k'+\mathfrak{C}''k''k''+\text{etc.}}$$

Dem. Pars prior theorematis inde patet, quod valor maxime plausibilis ipsius t valoribus $u^0=0$, $u'=0$, $u''=0$ etc. respondere debet. Ad posterio-

rem demonstrandam observamus, quoniam $\frac{1}{2}\mathrm{d}\Omega = \xi\mathrm{d}x + \eta\mathrm{d}y + \zeta\mathrm{d}z +$ etc., atque $\mathrm{d}t = f\mathrm{d}x + g\mathrm{d}y + h\mathrm{d}z +$ etc., esse, pro $\xi = f$, $\eta = g$, $\zeta = h$ etc., independenter a valoribus differentialium $\mathrm{d}x$, $\mathrm{d}y$, $\mathrm{d}z$ etc.

$$\mathrm{d}\Omega = 2\,\mathrm{d}t$$

Hinc vero sequitur, pro iisdem valoribus $\xi = f$, $\eta = g$, $\zeta = h$ etc., fieri

$$\tfrac{u^0}{\mathfrak{A}^0}\mathrm{d}u^0 + \tfrac{u'}{\mathfrak{B}'}\mathrm{d}u' + \tfrac{u''}{\mathfrak{C}''}\mathrm{d}u'' + \text{etc.} = k^0\mathrm{d}u^0 + k'\mathrm{d}u' + k''\mathrm{d}u'' + \text{etc.}$$

Iam facile perspicitur, si $\mathrm{d}x$, $\mathrm{d}y$, $\mathrm{d}z$ etc. sint ab invicem independentes, etiam $\mathrm{d}u^0$, $\mathrm{d}u'$, $\mathrm{d}u''$ etc. ab invicem independentes esse; unde colligimus, pro $\xi = f$, $\eta = g$, $\zeta = h$ etc. esse

$$u^0 = \mathfrak{A}^0 k^0, \quad u' = \mathfrak{B}' k', \quad u'' = \mathfrak{C}'' k'' \quad \text{etc.}$$

Quamobrem valor ipsius Ω, iisdem valoribus respondens erit

$$= \mathfrak{A}^0 k^0 k^0 + \mathfrak{B}' k' k' + \mathfrak{C}'' k'' k'' + \text{etc.} + M$$

unde per art. 29 theorematis nostri veritas protinus demanat.

Ceterum si transformationem functionis t immediate, i. e. absque cognitione substitutionum IV. art. 32, perficere cupimus, praesto sunt formulae:

$$\begin{aligned} f &= \mathfrak{A}^0 k^0 \\ g &= \mathfrak{B}^0 k^0 + \mathfrak{B}' k' \\ h &= \mathfrak{C}^0 k^0 + \mathfrak{C}' k' + \mathfrak{C}'' k'' \quad \text{etc.,} \end{aligned}$$

unde coëfficientes k^0, k', k'' etc. deinceps determinabuntur, tandemque habebitur

$$K = k - \mathfrak{L}^0 k^0 - \mathfrak{L}' k' - \mathfrak{L}'' k'' - \text{etc.}$$

35.

Tractatione peculiari dignum est problema sequens, tum propter utilitatem practicam, tum propter solutionis concinnitatem.

Invenire mutationes valorum maxime plausibilium incognitarum ab accessione aequationis novae productas, nec non pondera novarum determinationum.

Retinebimus designationes in praecedentibus adhibitas, ita ut aequationes primitivae, ad pondus $= 1$ reductae, sint hae $v = 0$, $v' = 0$, $v'' = 0$ etc.; aggregatum indefinitum $vv + v'v' + v''v''$ etc. $= \Omega$; porro ut ξ, η, ζ etc. sint quotientes differentiales partiales

$$\frac{\mathrm{d}\Omega}{2\,\mathrm{d}x}, \quad \frac{\mathrm{d}\Omega}{2\,\mathrm{d}y}, \quad \frac{\mathrm{d}\Omega}{2\,\mathrm{d}z} \quad \text{etc.}$$

denique ut ex eliminatione indefinita sequatur

$$\left.\begin{aligned} x &= A + [\alpha\alpha]\xi + [\alpha\beta]\eta + [\alpha\gamma]\zeta + \text{etc.} \\ y &= B + [\alpha\beta]\xi + [\beta\beta]\eta + [\beta\gamma]\zeta + \text{etc.} \\ z &= C + [\alpha\gamma]\xi + [\beta\gamma]\eta + [\gamma\gamma]\zeta + \text{etc.} \end{aligned}\right\} \quad \text{(I)}$$

Iam supponamus, accedere aequationem novam $v^* = 0$ (proxime veram, et cuius pondus $= 1$), et inquiramus, quantas mutationes hinc nacturi sint tum valores incognitarum maxime plausibiles A, B, C etc., tum coëfficientes $[\alpha\alpha]$, $[\alpha\beta]$ etc.

Statuamus $\Omega + v^*v^* = \Omega^*$, $\frac{\mathrm{d}\Omega^*}{2\,\mathrm{d}x} = \xi^*$, $\frac{\mathrm{d}\Omega^*}{2\,\mathrm{d}y} = \eta^*$, $\frac{\mathrm{d}\Omega^*}{2\,\mathrm{d}z} = \zeta^*$ etc.

supponamusque, hinc per eliminationem sequi

$$x = A^* + [\alpha\alpha^*]\xi^* + [\alpha\beta^*]\eta^* + [\alpha\gamma^*]\zeta^* \text{ etc.}$$

Denique sit

$$v^* = fx + gy + hz + \text{etc.} + k$$

prodeat inde, substitutis pro x, y, z etc. valoribus ex (I),

$$v^* = F\xi + G\eta + H\zeta + \text{etc.} + K$$

statuaturque

$$Ff + Gg + Hh + \text{etc.} = \omega$$

Manifesto K erit valor maxime plausibilis functionis v^*, quatenus ex aequationibus primitivis sequitur, sine respectu valoris 0, quem observatio accessoria praebuit, atque $\frac{1}{\omega}$ pondus istius determinationis.

Iam habemus

$$\xi^* = \xi + fv^*, \quad \eta^* = \eta + gv^*, \quad \zeta^* = \zeta + hv^* \quad \text{etc.}$$

adeoque

$$F\xi^* + G\eta^* + H\zeta^* + \text{etc.} + K = v^*(1 + Ff + Gg + Hh + \text{etc.})$$

sive

$$v^* = \frac{F\xi^* + G\eta^* + H\zeta^* + \text{etc.} + K}{1 + \omega}$$

Perinde fit

$$x = A + [\alpha\alpha]\xi^* + [\alpha\mathfrak{b}]\eta^* + [\alpha\gamma]\zeta^* + \text{etc.} - v^*(f[\alpha\alpha] + g[\alpha\mathfrak{b}] + h[\alpha\gamma] + \text{etc.})$$
$$= A + [\alpha\alpha]\xi^* + [\alpha\mathfrak{b}]\eta^* + [\alpha\gamma]\zeta^* + \text{etc.} - Fv^*$$
$$= A + [\alpha\alpha]\xi^* + [\alpha\mathfrak{b}]\eta^* + [\alpha\gamma]\zeta^* + \text{etc.} - \frac{F}{1+\omega}(F\xi^* + G\eta^* + H\zeta^* + \text{etc.} + K)$$

Hinc itaque colligimus

$$A^* = A - \frac{FK}{1+\omega}$$

qui erit valor maxime plausibilis ipsius x ex *omnibus* observationibus;

$$[\alpha\alpha^*] = [\alpha\alpha] - \frac{FF}{1+\omega}$$

adeoque pondus istius determinationis

$$= \frac{1}{[\alpha\alpha] - \frac{FF}{1+\omega}}$$

Prorsus eodem modo invenitur valor maxime plausibilis ipsius y, *omnibus* observationibus superstructus

$$B^* = B - \frac{GK}{1+\omega}$$

atque pondus huius determinationis

$$= \frac{1}{[\mathfrak{b}\mathfrak{b}] - \frac{GG}{1+\omega}}$$

et sic porro. Q. E. I.

Liceat huic solutioni quasdam annotationes adiicere.

I. Substitutis his novis valoribus A^*, B^*, C^* etc., functio v^* obtinet valorem maxime plausibilem

$$K - \frac{K}{1+\omega}(Ff + Gg + Hh + \text{etc.}) = \frac{K}{1+\omega}$$

Et quum indefinite sit

$$v^* = \frac{F}{1+\omega}\cdot\xi^* + \frac{G}{1+\omega}\cdot\eta^* + \frac{H}{1+\omega}\cdot\zeta^* + \text{etc.} + \frac{K}{1+\omega}$$

pondus istius determinationis per principia art. 29 eruitur

$$= \frac{1+\omega}{Ff + Gg + Hh + \text{etc.}} = \frac{1}{\omega} + 1$$

Eadem immediate resultant ex applicatione regulae in fine art. 21 traditae; scilicet complexus aequationum primitivarum praebuerat determinationem $v^* = K$ cum pondere $= \frac{1}{\omega}$, dein observatio nova dedit determinationem aliam, ab illa independentem, $v^* = 0$, cum pondere $= 1$, quibus combinatis prodit determinatio $v^* = \frac{K}{1+\omega}$ cum pondere $= \frac{1}{\omega} + 1$.

II. Hinc porro sequitur, quum pro $x = A^*$, $y = B^*$, $z = C^*$ etc. esse debeat $\xi^* = 0$, $\eta^* = 0$, $\zeta^* = 0$ etc., pro iisdem valoribus fieri

$$\xi = -\frac{fK}{1+\omega}, \quad \eta = -\frac{gK}{1+\omega}, \quad \zeta = -\frac{hK}{1+\omega} \quad \text{etc.}$$

nec non, quoniam indefinite $\Omega = \xi(x - A) + \eta(y - B) + \zeta(z - C) + \text{etc.} + M$,

$$\Omega = \frac{KK}{(1+\omega)^2}(Ff + Gg + Hh + \text{etc.}) + M = M + \frac{\omega KK}{(1+\omega)^2}$$

denique, quoniam indefinite $\Omega^* = \Omega + v^*v^*$,

$$\Omega^* = M + \frac{\omega KK}{(1+\omega)^2} + \frac{KK}{(1+\omega)^2} = M + \frac{KK}{1+\omega}$$

III. Comparando haec cum iis, quae in art. 30 docuimus, animadvertimus, functionem Ω hic valorem minimum obtinere, quem pro valore determinato functionis $v^* = \frac{K}{1+\omega}$ accipere potest.

36.

Problematis alius, praecedenti affinis, puta

Investigare mutationes valorum maxime plausibilium incognitarum, a mutato pondere unius ex observationibus primitivis oriundas, nec non pondera novarum determinationum

solutionem tantummodo hic adscribemus, demonstrationem, quae ad instar art. praec. facile absolvitur, brevitatis caussa supprimentes.

Supponamus, peracto demum calculo animadverti, alicui observationum pondus seu nimis parvum, seu nimis magnum tributum esse, e. g. observationi primae, quae dedit $V = L$, loco ponderis p in calculo adhibiti rectius tribui pondus $= p^*$. Tunc haud opus erit calculum integrum repetere, sed commodius correctiones per formulas sequentes computare licebit.

Valores incognitarum maxime plausibiles correcti erunt hi;

$$x = A - \frac{(p^* - p)a\lambda}{p + (p^* - p)(a\alpha + b\beta + c\gamma + \text{etc.})}$$
$$y = B - \frac{(p^* - p)b\lambda'}{p + (p^* - p)(a\alpha + b\beta + c\gamma + \text{etc.})}$$
$$z = C - \frac{(p^* - p)c\lambda}{p + (p^* - p)(a\alpha + b\beta + c\gamma + \text{etc.})}$$

etc. ponderaque harum determinationum invenientur, dividendo unitatem resp. per

$$[\alpha\alpha] - \frac{(p^* - p)a\alpha}{p + (p^* - p)(a\alpha + b\beta + c\gamma + \text{etc.})}$$
$$[\beta\beta] - \frac{(p^* - p)b\beta}{p + (p^* - p)(a\alpha + b\beta + c\gamma + \text{etc.})}$$
$$[\gamma\gamma] - \frac{(p^* - p)c\gamma}{p + (p^* - p)(a\alpha + b\beta + c\gamma + \text{etc.})} \text{ etc.}$$

Haec solutio simul complectitur casum, ubi peracto calculo percipitur, unam ex observationibus omnino reiici debuisse, quum hoc idem sit ac si facias $p^* = 0$; et perinde valor $p^* = \infty$ refertur ad casum eum, ubi aequatio $V = L$, quae in calculo tamquam approximata tractata erat, revera praecisione absoluta gaudet.

Ceterum quoties vel aequationibus, quibus calculus superstructus erat, *plures* novae accedunt, vel *pluribus* ex illis pondera erronea tributa esse percipitur, computus correctionum nimis complicatus evaderet; quocirca in tali casu calculum ab integro reficere praestabit.

37.

In artt. 15. 16 methodum explicavimus, observationum praecisionem proxime determinandi*). Sed haec methodus supponit, errores, qui revera occurrerint, satis multos exacte cognitos esse, quae conditio, stricte loquendo, rarissime, ne dicam numquam, locum habebit. Quodsi quidem quantitates, quarum valores approximati per observationes innotuerunt, secundum legem cognitam, ab una pluribusve quantitatibus incognitis pendent, harum valores maxime plausibiles per methodum quadratorum minimorum eruere licebit, ac dein valores quantitatum, quae observationum obiecta fuerant, illinc computati perparum a valoribus

*) Disquisitio de eodem argumento, quam in commentatione anteriore (*Bestimmung der Genauigkeit der Beobachtungen. Zeitschrift für Astronomie und verwandte Wissenschaften* Vol. I, p. 185) tradideramus, eidem hypothesi circa indolem functionis probabilitatem errorum exprimentis innixa erat, cui in Theoria motus corporum coelestium methodum quadratorum minimorum superstruxeramus (vid. art. 9, III).

veris discrepare censebuntur, ita ut ipsorum differentias a valoribus observatis eo maiore iure tamquam observationum errores veros adoptare liceat, quo maior fuerit harum multitudo. Hanc praxin sequuti sunt omnes calculatores, qui observationum praecisionem in casibus concretis a posteriori aestimare susceperunt: sed manifesto illa theoretice erronea est, et quamquam in casibus multis ad usus practicos sufficere possit, tamen in aliis enormiter peccare potest. Summopere itaque hoc argumentum dignum est, quod accuratius enodetur.

Retinebimus in hac disquisitione designationes inde ab art. 19 adhibitas. Praxis ea, de qua diximus, quantitates A, B, C etc. tamquam valores veros ipsarum x, y, z considerat, et proin ipsas $\lambda, \lambda', \lambda''$ etc. tamquam valores veros functionum v, v', v'' etc. Si omnes observationes aequali praecisione gaudent, ipsarumque pondus $p = p' = p''$ etc. pro unitate acceptum est, eaedem quantitates, signis mutatis, in illa suppositione observationum errores exhibent, unde praecepta art. 15 praebent observationum errorem medium m

$$= \sqrt{\frac{\lambda\lambda + \lambda'\lambda' + \lambda''\lambda'' + \text{etc.}}{\pi}} = \sqrt{\frac{M}{\pi}}$$

Si observationum praecisio non est eadem, quantitates $-\lambda, -\lambda', -\lambda''$ etc. exhiberent observationum errores per radices quadratas e ponderibus multiplicatos, praeceptaque art. 16 ad eandem formulam $\sqrt{\frac{M}{\pi}}$ perducerent, iam errorem medium talium observationum, quibus pondus $= 1$ tribuitur, denotantem. Sed manifesto calculus exactus requireret, ut loco quantitatum $\lambda, \lambda', \lambda''$ etc. valores functionum v, v', v'' etc. e valoribus veris ipsarum x, y, z etc. prodeuntes adhiberentur, i. e loco ipsius M, valor functionis Ω valoribus veris ipsarum x, y, z etc. respondens. Qui quamquam assignari nequeat, tamen certi sumus, eum esse maiorem quam M (quippe qui est minimus possibilis), excipiendo casum infinite parum probabilem, ubi incognitarum valores maxime plausibiles exacte cum veris quadrant. In genere itaque affirmare possumus, praxin vulgarem errorem medium iusto minorem producere, sive observationibus praecisionem nimis magnam tribuere. Videamus iam, quid doceat theoria rigorosa.

38.

Ante omnia investigare oportet, quonam modo M ab observationum erroribus veris pendeat. Denotemus hos, ut in art. 28, per e, e', e'' etc., statuamusque ad maiorem simplicitatem

$$e\sqrt{p} = \varepsilon, \quad e'\sqrt{p'} = \varepsilon', \quad e''\sqrt{p''} = \varepsilon'' \text{ etc., nec non}$$
$$m\sqrt{p} = m'\sqrt{p'} = m''\sqrt{p''} \text{ etc.} = \mu$$

Porro sint valores veri ipsarum x, y, z etc., resp. $A - x^0$, $B - y^0$, $C - z^0$ etc., quibus respondeant valores ipsarum ξ, η, ζ etc. hi $-\xi^0$, $-\eta^0$, $-\zeta^0$ etc. Manifesto iisdem respondebunt valores ipsarum v, v', v'' etc. hi $-\varepsilon$, $-\varepsilon'$, $-\varepsilon''$ etc., ita ut habeatur

$$\xi^0 = a\varepsilon + a'\varepsilon' + a''\varepsilon'' + \text{etc.}$$
$$\eta^0 = b\varepsilon + b'\varepsilon' + b''\varepsilon'' + \text{etc.}$$
$$\zeta^0 = c\varepsilon + c'\varepsilon' + c''\varepsilon'' + \text{etc.}$$

etc. nec non

$$x^0 = \alpha\varepsilon + \alpha'\varepsilon' + \alpha''\varepsilon'' + \text{etc.}$$
$$y^0 = \beta\varepsilon + \beta'\varepsilon' + \beta''\varepsilon'' + \text{etc.}$$
$$z^0 = \gamma\varepsilon + \gamma'\varepsilon' + \gamma''\varepsilon'' + \text{etc.}$$

Denique statuemus

$$\Omega^0 = \varepsilon\varepsilon + \varepsilon'\varepsilon' + \varepsilon''\varepsilon'' + \text{etc.}$$

ita ut sit Ω^0 aequalis valori functionis Ω, valoribus veris ipsarum x, y, z etc. respondenti. Hinc quum habeatur indefinite

$$\Omega = M + (x - A)\xi + (y - B)\eta + (z - C)\zeta + \text{etc.}$$

erit etiam

$$M = \Omega^0 - x^0\xi^0 - y^0\eta^0 - z^0\zeta^0 - \text{etc.}$$

Hinc manifestum est, M, evolutione facta esse functionem homogeneam secundi ordinis errorum e, e', e'' etc., quae, pro diversis errorum valoribus maior minorve evadere poterit. Sed quatenus errorum magnitudo nobis incognita manet, functionem hanc indefinite considerare, imprimisque secundum principia calculi probabilitatis eius valorem medium assignare conveniet. Quem inveniemus, si loco quadratorum ee, $e'e'$, $e''e''$ etc. resp. scribimus mm, $m'm'$, $m''m''$ etc., producta vero ee', ee'', $e'e''$ etc. omnino omittimus, vel quod idem est, si loco cuiusvis quadrati $\varepsilon\varepsilon$, $\varepsilon'\varepsilon'$, $\varepsilon''\varepsilon''$ etc. scribimus $\mu\mu$, productis $\varepsilon\varepsilon'$, $\varepsilon\varepsilon''$, $\varepsilon'\varepsilon''$ etc. prorsus neglectis. Hoc modo e termino Ω^0 manifesto provenit $\pi\mu\mu$; terminus $-x^0\xi^0$ producet

$$-(a\alpha + a'\alpha' + a''\alpha'' + \text{etc.})\mu\mu = -\mu\mu$$

et similiter singulae partes reliquae praebebunt. $-\mu\mu$, ita ut valor medius totalis fiat $= (\pi - \rho)\mu\mu$, denotante π multitudinem observationum, ρ multitudinem incognitarum. Valor verus quidem ipsius M, prout fors errores obtulit, maior minorve medio fieri potest, sed discrepantia eo minoris momenti erit, quo maior fuerit observationum multitudo, ita ut pro valore approximato ipsius μ accipere liceat

$$\sqrt{\frac{M}{\pi - \rho}}$$

Valor itaque ipsius μ, ex praxi erronea, de qua in art. praec. loquuti sumus, prodiens, augeri debet in ratione quantitatis $\sqrt{(\pi - \rho)}$ ad $\sqrt{\pi}$.

39.

Quo clarius eluceat, quanto iure valorem fortuitum ipsius M medio aequiparare liceat, adhuc investigare oportet errorem medium metuendum, dum statuimus $\frac{M}{\pi - \rho} = \mu\mu$. Iste error medius aequalis est radici quadratae e valore medio quantitatis

$$\left(\frac{\Omega^0 - x^0\xi^0 - y^0\eta^0 - z^0\zeta^0 - \text{etc.} - (\pi - \rho)\mu\mu}{\pi - \rho}\right)^2$$

quam ita exhibebimus

$$\left(\frac{\Omega^0 - x^0\xi^0 - y^0\eta^0 - z^0\zeta^0 - \text{etc.}}{\pi - \rho}\right)^2 - \frac{2\mu\mu}{\pi - \rho}(\Omega^0 - x^0\xi^0 - y^0\eta^0 - z^0\zeta^0 - \text{etc.} - (\pi - \rho)\mu\mu) - \mu^4$$

et quum manifesto valor medius termini secundi fiat $= 0$, res in eo vertitur, ut indagemus valorem medium functionis

$$\Psi = (\Omega^0 - x^0\xi^0 - y^0\eta^0 - z^0\zeta^0 - \text{etc.})^2$$

quo invento et per N designato, error medius quaesitus erit

$$= \sqrt{\left(\frac{N}{(\pi - \rho)^2} - \mu^4\right)}$$

Expressio Ψ evoluta manifesto est functio homogenea sive errorum e, e', e'' etc., sive quantitatum $\varepsilon, \varepsilon', \varepsilon''$ etc., eiusque valor medius invenietur, si

1° pro biquadratis e^4, e'^4, e''^4 etc. substituuntur eorum valores medii

2° pro singulis productis e binis quadratis ut $ee'e'$, $ee'e''$, $e'e'e''$ etc. producta ex ipsorum valoribus mediis, puta $mmm'm'$, $mmm''m''$, $m'm'm''m''$ etc.

3° partes vero reliquae, quae implicabunt vel factorem talem e^3e', vel talem $eee'e''$, omnino omittuntur. Valores medios biquadratorum e^4, e'^4, e''^4 etc. ipsis biquadratis m^4, m'^4, m''^4 etc. proportionales supponemus (vid. art. 16), ita ut illi sint ad haec ut ν^4 ad μ^4, adeoque ν^4 denotet valorem medium biquadratorum observationum talium quarum pondus $= 1$. Hinc praecepta praecedentia ita quoque exprimi poterunt: Loco singulorum biquadratorum ε^4, ε'^4, ε''^4 etc. scribendum erit ν^4, loco singulorum productorum e binis quadratis ut $\varepsilon\varepsilon\varepsilon'\varepsilon'$, $\varepsilon\varepsilon\varepsilon''\varepsilon''$, $\varepsilon'\varepsilon'\varepsilon''\varepsilon''$ etc., scribendum erit μ^4, omnesque reliqui termini, qui implicabunt factores tales ut $\varepsilon^3\varepsilon'$, vel $\varepsilon\varepsilon\varepsilon'\varepsilon''$, vel $\varepsilon\varepsilon'\varepsilon''\varepsilon'''$ erunt supprimendi.

His probe intellectis facile patebit

I. Valorem medium quadrati $\Omega^0\Omega^0$ esse $\pi\nu^4 + (\pi\pi - \pi)\mu^4$

II. Valor medius producti $\varepsilon\varepsilon x^0\xi^0$ fit $= \alpha\alpha\nu^4 + (\alpha'\alpha' + \alpha''\alpha'' + \text{etc.})\mu^4$, sive quoniam $\alpha\alpha + \alpha'\alpha' + \alpha''\alpha'' + \text{etc.} = 1$,

$$= \alpha\alpha(\nu^4 - \mu^4) + \mu^4$$

Et quum perinde valor medius producti $\varepsilon'\varepsilon' x^0\xi^0$ fiat $= \alpha'\alpha'(\nu^4 - \mu^4) + \mu^4$, valor medius producti $\varepsilon''\varepsilon'' x^0\xi^0$ autem $= \alpha''\alpha''(\nu^4 - \mu^4) + \mu^4$ et sic porro, patet, valorem medium producti $(\varepsilon\varepsilon + \varepsilon'\varepsilon' + \varepsilon''\varepsilon'' + \text{etc.})x^0\xi^0$ sive $\Omega^0 x^0\xi^0$ esse

$$= \nu^4 - \mu^4 + \pi\mu^4$$

Eundem valorem medium habebunt producta $\Omega^0 y^0\eta^0$, $\Omega^0 z^0\zeta^0$ etc. Quapropter valor medius producti $\Omega^0(x^0\xi^0 + y^0\eta^0 + z^0\zeta^0 + \text{etc.})$ fit

$$= \rho\nu^4 + \rho(\pi - 1)\mu^4$$

III. Ne evolutiones reliquae nimis prolixae evadant, idonea denotatio introducenda erit. Utemur itaque characteristica Σ sensu aliquantum latiore quam supra passim factum est, ita ut denotet aggregatum termini, cui praefixa est, cum omnibus similibus sed non identicis inde per omnes observationum permutationes oriundis. Hoc pacto e.g. habemus $x^0 = \Sigma\alpha\varepsilon$, $x^0x^0 = \Sigma\alpha\alpha\varepsilon\varepsilon + 2\Sigma\alpha\alpha'\varepsilon\varepsilon'$. Colligendo itaque valorem medium producti $x^0x^0\xi^0\xi^0$ per partes, habemus primo valorem medium producti $\alpha\alpha\varepsilon\varepsilon\xi^0\xi^0$

$$= \alpha\alpha\alpha\alpha\nu^4 + \alpha\alpha(\alpha'\alpha' + \alpha''\alpha'' + \text{etc.})\mu^4$$
$$= \alpha\alpha\alpha\alpha(\nu^4 - \mu^4) + \alpha\alpha\mu^4\Sigma\alpha\alpha$$

Perinde valor medius producti $\alpha'\alpha'\varepsilon'\varepsilon'\xi^0\xi^0$ fit $= \alpha'\alpha'\alpha'\alpha'(\nu^4 - \mu^4) + \alpha'\alpha'\mu^4\Sigma\alpha\alpha$ et sic porro, adeoque valor medius producti $\xi^0\xi^0\Sigma\alpha\alpha\varepsilon\varepsilon$

$$= (\nu^4 - \mu^4)\Sigma\alpha\alpha\alpha\alpha + \mu^4\Sigma\alpha\alpha.\Sigma\alpha\alpha$$

Porro valor medius producti $\alpha\alpha'\varepsilon\varepsilon'\xi^0\xi^0$ fit $= 2\alpha\alpha'\alpha\alpha'\mu^4$, valor medius producti $\alpha\alpha''\varepsilon\varepsilon''\xi^0\xi^0$ perinde $= 2\alpha\alpha''\alpha\alpha''\mu^4$ etc., unde facile concluditur, valorem medium producti $\xi^0\xi^0\Sigma\alpha\alpha'\varepsilon\varepsilon'$ fieri

$$= 2\mu^4\Sigma\alpha\alpha\alpha\alpha' = \mu^4((\Sigma\alpha\alpha)^2 - \Sigma\alpha\alpha\alpha\alpha) = \mu^4(1 - \Sigma\alpha\alpha\alpha\alpha)$$

His collectis habemus valorem medium producti $x^0x^0\xi^0\xi^0$

$$= (\nu^4 - 3\mu^4)\Sigma\alpha\alpha\alpha\alpha + 2\mu^4 + \mu^4\Sigma\alpha\alpha.\Sigma\alpha\alpha$$

IV. Haud absimili modo invenitur valor medius producti $x^0y^0\xi^0\eta^0$

$$= \nu^4\Sigma ab\alpha\beta + \mu^4\Sigma\alpha\alpha b'\beta' + \mu^4\Sigma ab\alpha'\beta' + \mu^4\Sigma\alpha\beta b'\alpha'$$

Sed habetur

$$\Sigma\alpha\alpha b'\beta' = \Sigma\alpha\alpha.\Sigma b\beta - \Sigma\alpha\alpha b\beta$$
$$\Sigma ab\alpha'\beta' = \Sigma ab.\Sigma\alpha\beta - \Sigma ab\alpha\beta$$
$$\Sigma\alpha\beta b'\alpha' = \Sigma\alpha\beta.\Sigma b\alpha - \Sigma\alpha\beta ba$$

unde valor ille medius fit, propter $\Sigma\alpha\alpha = 1$, $\Sigma b\beta = 1$, $\Sigma\alpha\beta = 0$, $\Sigma b\alpha = 0$,

$$= (\nu^4 - 3\mu^4)\Sigma ab\alpha\beta + \mu^4(1 + \Sigma ab.\Sigma\alpha\beta)$$

V. Quum prorsus eodem modo valor medius producti $x^0z^0\xi^0\zeta^0$ fiat

$$= (\nu^4 - 3\mu^4)\Sigma ac\alpha\gamma + \mu^4(1 + \Sigma ac.\Sigma\alpha\gamma)$$

et sic porro, additio valorem medium producti $x^0\xi^0(x^0\xi^0 + y^0\eta^0 + z^0\zeta^0 + \text{etc.})$ suppeditat

$$= (\nu^4 - 3\mu^4)\Sigma(aa(a\alpha + b\beta + c\gamma + \text{etc.})) + (\rho + 1)\mu^4$$
$$+ \mu^4(\Sigma aa.\Sigma\alpha\alpha + \Sigma ab.\Sigma\alpha\beta + \Sigma ac.\Sigma\alpha\gamma + \text{etc.})$$
$$= (\nu^4 - 3\mu^4)\Sigma(aa(a\alpha + b\beta + c\gamma + \text{etc.})) + (\rho + 2)\mu^4$$

VI. Prorsus eodem modo valor medius producti $y^0\eta^0(x^0\xi^0 + y^0\eta^0 + z^0\zeta^0 + \text{etc.})$ eruitur

$$= (\nu^4 - 3\mu^4)\Sigma(b\mathfrak{b}(a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})) + (\rho + 2)\mu^4$$

dein valor medius producti $z^0\zeta^0(x^0\xi^0 + y^0\eta^0 + z^0\zeta^0 + \text{etc.})$

$$= (\nu^4 - 3\mu^4)\Sigma(c\gamma(a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})) + (\rho + 2)\mu^4$$

et sic porro. Hinc per additionem prodit valor medius quadrati $(x^0\xi^0 + y^0\eta^0 + z^0\zeta^0 + \text{etc.})^2$

$$= (\nu^4 - 3\mu^4)\Sigma((a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})^2) + (\rho\rho + 2\rho)\mu^4$$

VII. Omnibus tandem rite collectis eruitur

$$N = (\pi - 2\rho)\nu^4 + (\pi\pi - \pi - 2\pi\rho + 4\rho + \rho\rho)\mu^4 + (\nu^4 - 3\mu^4)\Sigma((a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})^2)$$
$$= (\pi - \rho)(\nu^4 - \mu^4) + (\pi - \rho)^2\mu^4 - (\nu^4 - 3\mu^4)[\rho - \Sigma((a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})^2)]$$

Error itaque medius in determinatione ipsius $\mu\mu$ per formulam

$$\mu\mu = \frac{M}{\pi - \rho}$$

metuendus erit

$$= \sqrt{\{\tfrac{\nu^4 - \mu^4}{\pi - \rho} - \tfrac{\nu^4 - 3\mu^4}{(\pi - \rho)^2} \cdot [\rho - \Sigma((a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})^2)]\}}$$

40.

Quantitas $\Sigma((a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})^2)$, quae in expressionem modo inventam ingreditur, generaliter quidem ad formam simpliciorem reduci nequit: nihilominus duo limites assignari possunt, inter quos ipsius valor necessario iacere debet. *Primo* scilicet e relationibus supra evolutis facile demonstratur, esse

$$(a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})^2 + (a\alpha' + b\mathfrak{b}' + c\gamma' + \text{etc.})^2 + (a\alpha'' + b\mathfrak{b}'' + c\gamma'' + \text{etc.})^2 + \text{etc.} = a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.}$$

unde concludimus, $a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.}$ esse quantitatem positivam unitate minorem (saltem non maiorem). Idem valet de quantitate $a'\alpha' + b'\mathfrak{b}' + c'\gamma' + \text{etc.}$, quippe cui aggregatum

$$(a'\alpha + b'\mathfrak{b} + c'\gamma + \text{etc.})^2 + (a'\alpha' + b'\mathfrak{b}' + c'\gamma' + \text{etc.})^2 + (a'\alpha'' + b'\mathfrak{b}'' + c'\gamma'' \text{ etc.})^2 + \text{etc.}$$

aequale invenitur; ac perinde $a''\alpha'' + b''\mathfrak{b}'' + c''\gamma'' + \text{etc.}$ unitate minor erit, et sic

porro. Hinc $\Sigma((a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})^2)$ necessario est minor quam π. *Secundo* habetur $\Sigma(a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.}) = \rho$, quoniam fit $\Sigma a\alpha = 1$, $\Sigma b\mathfrak{b} = 1$, $\Sigma c\gamma = 1$ etc.; unde facile deducitur, summam quadratorum $\Sigma((a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})^2)$ esse maiorem quam $\frac{\rho\rho}{\pi}$, vel saltem non minorem. Hinc terminus

$$\tfrac{\nu^4 - 3\mu^4}{(\pi - \rho)^2} \cdot [\rho - \Sigma((a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})^2)]$$

necessario iacet inter limites $-\frac{\nu^4 - 3\mu^4}{\pi - \rho}$ et $\frac{\nu^4 - 3\mu^4}{\pi - \rho} \cdot \frac{\rho}{\pi}$ vel, si latiores praeferimus, inter hos $-\frac{\nu^4 - 3\mu^4}{\pi - \rho}$ et $+\frac{\nu^4 - 3\mu^4}{\pi - \rho}$, et proin erroris medii in valore ipsius $\mu\mu = \frac{M}{\pi - \rho}$ metuendi quadratum inter limites $-\frac{2\nu^4 - 4\mu^4}{\pi - \rho}$ et $\frac{2\mu^4}{\pi - \rho}$, ita ut praecisionem quantamvis assequi liceat, si modo observationum multitudo fuerit satis magna.

Valde memorabile est, in hypothesi ea (art. 9, III), cui theoria quadratorum minimorum olim superstructa fuerat, illum terminum omnino excidere, et sicuti, ad eruendum valorem approximatum erroris medii observationum μ, in omnibus casibus aggregatum $\lambda\lambda + \lambda'\lambda' + \lambda''\lambda'' + \text{etc.} = M$ ita tractare oportet, ac si esset aggregatum $\pi - \rho$ errorum fortuitorum, ita in illa hypothesi etiam praecisionem ipsam huius determinationis aequalem fieri ei, quam determinationi ex $\pi - \rho$ erroribus veris tribuendam esse in art. 15 invenimus.

SUPPLEMENTUM

THEORIAE

COMBINATIONIS OBSERVATIONUM

ERRORIBUS MINIMIS OBNOXIAE

AUCTORE

CAROLO FRIDERICO GAUSS

SOCIETATI REGIAE SCIENTIARUM EXHIBITUM 1826. SEPT. 16.

Commentationes societatis regiae scientiarum Gottingensis recentiores. Vol. VI.
Gottingae MDCCCXXVIII.

SUPPLEMENTUM
THEORIAE
COMBINATIONIS OBSERVATIONUM
ERRORIBUS MINIMIS OBNOXIAE.

1.

In tractatione theoriae combinationis observationum Volumini V Commentationum Recentiorum inserta supposuimus, quantitates eas, quarum valores per observationes praecisione absoluta non gaudentes propositi sunt, a certis elementis incognitis ita pendere, ut in forma functionum datarum horum elementorum exhibitae sint, reique cardinem in eo verti, ut haec elementa quam exactissime ex observationibus deriventur.

In plerisque quidem casibus suppositio ista immediate locum habet. In aliis vero casibus problematis conditio paullo aliter se offert, ita ut primo aspectu dubium videatur, quonam pacto ad formam requisitam reduci possit. Haud raro scilicet accidit, ut quantitates eae, ad quas referuntur observationes, nondum exhibitae sint in forma functionum certorum elementorum, neque etiam ad talem formam reducibiles videantur, saltem non commode vel sine ambagibus: dum, ex altera parte, rei indoles quasdam conditiones suppeditat, quibus valores veri quantitatum observatarum exacte et necessario satisfacere debent.

Attamen, re propius considerata, facile perspicitur, hunc casum ab altero revera essentialiter haud differre, sed ad eundem reduci posse. Designando scilicet multitudinem quantitatum observatarum per π, multitudinem aequationum conditionalium autem per σ, eligendoque e prioribus $\pi - \sigma$ ad lubitum, nihil impedit, quominus has ipsas pro elementis accipiamus, reliquasque, quarum mul-

titudo erit σ, adiumento aequationum conditionalium tamquam functiones illarum consideremus, quo pacto res ad suppositionem nostram reducta erit.

Verum enim vero etiamsi haec via in permultis casibus satis commode ad finem propositum perducat, tamen negari non potest, eam minus genuinam, operaeque adeo pretium esse, problema in ista altera forma seorsim tractare, tantoque magis, quod solutionem perelegantem admittit. Quin adeo, quum haec solutio nova ad calculos expeditiores perducat, quam solutio problematis in statu priore, quoties σ est minor quam $\frac{1}{2}\pi$, sive quod idem est, quoties multitudo elementorum in commentatione priore per ρ denotata maior est, quam $\frac{1}{2}\pi$, solutionem novam, quam in commentatione praesenti explicabimus, in tali casu praeferre conveniet priori, siquidem aequationes conditionales e problematis indole absque ambagibus depromere licet.

2.

Designemus per v, v', v'' etc. quantitates, multitudine π, quarum valores per observationem innotescunt, pendeatque quantitas incognita ab illis tali modo, ut per functionem datam illarum, puta u, exhibeatur: sint porro l, l', l'' etc. valores quotientium differentialium

$$\frac{\mathrm{d}u}{\mathrm{d}v}, \quad \frac{\mathrm{d}u}{\mathrm{d}v'}, \quad \frac{\mathrm{d}u}{\mathrm{d}v''} \text{ etc.}$$

valoribus veris quantitatum v, v', v'' etc. respondentes. Quemadmodum igitur per substitutionem horum valorum verorum in functione u huius valor verus prodit, ita, si pro v, v', v'' etc. valores erroribus e, e', e'' etc. resp. a veris discrepantes substituuntur, obtinebitur valor erroneus incognitae, cuius error statui potest

$$= le + l'e' + l''e'' + \text{ etc.}$$

siquidem, quod semper supponemus, errores e, e', e'' etc. tam exigui sunt, ut (pro functione u non lineari) quadrata et producta negligere liceat. Et quamquam magnitudo errorum e, e', e'' etc. incerta maneat, tamen incertitudinem tali incognitae determinationi inhaerentem generaliter aestimare licet, et quidem per errorem medium in tali determinatione metuendum, qui per principia commentationis prioris fit

$$= \sqrt{(llmm + l'l'm'm' + l''l''m''m'' + \text{ etc.})}$$

denotantibus m, m', m'' etc. errores medios observationum, aut si singulae observationes aequali incertitudini obnoxiae sunt,

$$= m\sqrt{(ll + l'l' + l''l'' + \text{ etc.})}$$

Manifesto in hoc calculo pro l, l', l'' etc. aequali iure etiam eos valores quotientium differentialium adoptare licebit, qui valoribus observatis quantitatum v, v', v'' etc. respondent.

3.

Quoties quantitates v, v', v'' etc. penitus inter se sunt independentes, incognita unico tantum modo per illas determinari poterit: quamobrem tunc illam incertitudinem nullo modo nec evitare neque diminuere licet, et circa valorem incognitae ex observationibus deducendum nihil arbitrio relinquitur.

At longe secus se habet res, quoties inter quantitates v, v', v'' etc. mutua dependentia intercedit, quam per σ aequationes conditionales

$$X = 0, \quad Y = 0, \quad Z = 0 \text{ etc.}$$

exprimi supponemus, denotantibus X, Y, Z etc. functiones datas indeterminatarum v, v', v'' etc. In hoc casu incognitam nostram infinitis modis diversis per combinationes quantitatum v, v', v'' etc. determinare licet, quum manifesto loco functionis u adoptari possit quaecunque alia U ita comparata, ut $U - u$ indefinite evanescat, statuendo $X = 0$, $Y = 0$, $Z = 0$ etc.

In applicatione ad casum determinatum nulla quidem hinc prodiret differentia respectu valoris incognitae, si observationes absoluta praecisione gauderent: sed quatenus hae erroribus obnoxiae manent, manifesto in genere alia combinatio alium valorem incognitae afferet. Puta, loco erroris

$$le + l'e + l''e'' + \text{ etc.}$$

quem functio u commiserat, iam habebimus

$$Le + L'e' + L''e'' + \text{ etc.}$$

si functionem U adoptamus, atque valores quotientium differentialium $\frac{\mathrm{d}U}{\mathrm{d}v}, \frac{\mathrm{d}U}{\mathrm{d}v'}, \frac{\mathrm{d}U}{\mathrm{d}v''}$ etc. resp. per L, L', L'' etc. denotamus. Et quamquam errores ipsos assignare nequeamus, tamen errores medios in diversis observationum combinationibus me-

tuendos inter se comparare licebit: optimaque combinatio ea erit, in qua hic error medius quam minimus evadit. Qui quum fiat

$$= \sqrt{(LLmm + L'L'm'm' + L''L''m''m'' + \text{etc.})}$$

in id erit incumbendum, ut aggregatum $LLmm + L'L'm'm' + L''L''m''m'' + \text{etc.}$ nanciscatur valorem minimum.

4.

Quum varietas infinita functionum U, quae secundum conditionem in art. praec. enunciatam ipsius u vice fungi possunt, eatenus tantum hic consideranda veniat, quatenus diversa systemata valorum coëfficientium L, L', L'' etc. inde sequuntur, indagare oportebit ante omnia nexum, qui inter cuncta systemata admissibilia locum habere debet. Designemus valores determinatos quotientium differentialium partialium

$$\begin{array}{lll} \frac{dX}{dv}, & \frac{dX}{dv'}, & \frac{dX}{dv''} \text{ etc.} \\ \frac{dY}{dv}, & \frac{dY}{dv'}, & \frac{dY}{dv''} \text{ etc.} \\ \frac{dZ}{dv}, & \frac{dZ}{dv'}, & \frac{dZ}{dv''} \text{ etc. etc.} \end{array}$$

quos obtinent, si ipsis v, v', v'' etc. valores veri tribuuntur, resp. per

$$\begin{array}{lll} a, & a', & a'' \text{ etc.} \\ b, & b', & b'' \text{ etc.} \\ c, & c', & c'' \text{ etc. etc.} \end{array}$$

patetque, si ipsis v, v', v'' etc. accedere concipiantur talia incrementa dv, dv', dv'' etc., per quae X, Y, Z etc. non mutentur, adeoque singulae maneant $= 0$, i. e. satisfacientia aequationibus

$$\begin{aligned} 0 &= a\,dv + a'\,dv' + a''\,dv'' + \text{etc.} \\ 0 &= b\,dv + b'\,dv' + b''\,dv'' + \text{etc.} \\ 0 &= c\,dv + c'\,dv' + c''\,dv'' + \text{etc. etc.} \end{aligned}$$

etiam $u - U$ non mutari debere, adeoque fieri

$$0 = (l - L)\,dv + (l' - L')\,dv' + (l'' - L'')\,dv'' + \text{etc.}$$

Hinc facile concluditur, coëfficientes L, L', L'' etc. contentos esse debere sub formulis talibus

$$\begin{aligned} L &= l + ax + by + cz + \text{etc.} \\ L' &= l' + a'x + b'y + c'z + \text{etc.} \\ L'' &= l'' + a''x + b''y + c''z + \text{etc.} \end{aligned}$$

etc., denotantibus x, y, z etc. multiplicatores determinatos. Vice versa patet, si systema multiplicatorum determinatorum x, y, z etc. ad lubitum assumatur, semper assignari posse functionem U talem, cui valores ipsorum L, L', L'' etc. his aequationibus conformes respondeant, et quae pro conditione in art. praec. enunciata ipsius u vice fungi possit: quin adeo hoc infinitis modis diversis effici posse. Modus simplicissimus erit statuere $U = u + xX + yY + zZ + \text{etc.}$; generalius statuere licet $U = u + xX + yY + zZ + \text{etc.} + u'$, denotante u' talem functionem indeterminatarum v, v', v'' etc., quae semper evanescit pro $X = 0$, $Y = 0$, $Z = 0$ etc., et cuius valor in casu determinato de quo agitur fit maximus vel minimus. Sed ad institutum nostrum nulla hinc oritur differentia.

5.

Facile iam erit, multiplicatoribus x, y, z etc. valores tales tribuere, ut aggregatum

$$LLmm + L'L'm'm' + L''L''m''m'' + \text{etc.}$$

assequatur valorem minimum. Manifesto ad hunc finem haud opus est cognitione errorum mediorum m, m', m'' etc. absoluta, sed sufficit ratio, quam inter se tenent. Introducemus itaque ipsorum loco pondera observationum p, p', p'' etc., i. e. numeros quadratis $mm, m'm', m''m''$ etc. reciproce proportionales, pondere alicuius observationis ad lubitum pro unitate accepto. Quantitates x, y, z etc. itaque sic determinari debebunt, ut polynomium indefinitum

$$\frac{(ax + by + cz + \text{etc.} + l)^2}{p} + \frac{(a'x + b'y + c'z + \text{etc.} + l')^2}{p'} + \frac{(a''x + b''y + c''z + \text{etc.} + l'')^2}{p''} + \text{etc.}$$

nanciscatur valorem minimum, quod fieri supponemus per valores *determinatos* x^0, y^0, z^0 etc.

Introducendo denotationes sequentes

$$\begin{aligned}
&\frac{aa}{p}+\frac{a'a'}{p'}+\frac{a''a''}{p''}+\text{etc.} = [aa]\\
&\frac{ab}{p}+\frac{a'b'}{p'}+\frac{a''b''}{p''}+\text{etc.} = [ab]\\
&\frac{ac}{p}+\frac{a'c'}{p'}+\frac{a''c''}{p''}+\text{etc.} = [ac]\\
&\frac{bb}{p}+\frac{b'b'}{p'}+\frac{b''b''}{p''}+\text{etc.} = [bb]\\
&\frac{bc}{p}+\frac{b'c'}{p'}+\frac{b''c''}{p''}+\text{etc.} = [bc]\\
&\frac{cc}{p}+\frac{c'c'}{p'}+\frac{c''c''}{p''}+\text{etc.} = [cc]\\
&\text{etc. nec non}\\
&\frac{al}{p}+\frac{a'l'}{p'}+\frac{a''l''}{p''}+\text{etc.} = [al]\\
&\frac{bl}{p}+\frac{b'l'}{p'}+\frac{b''l''}{p''}+\text{etc.} = [bl]\\
&\frac{cl}{p}+\frac{c'l'}{p'}+\frac{c''l''}{p''}+\text{etc.} = [cl]\\
&\text{etc.}
\end{aligned}$$

manifesto conditio minimi requirit, ut fiat

$$\left.\begin{aligned}
0 &= [aa]x^0+[ab]y^0+[ac]z^0+\text{etc.}+[al]\\
0 &= [ab]x^0+[bb]y^0+[bc]z^0+\text{etc.}+[bl]\\
0 &= [ac]x^0+[bc]y^0+[cc]z^0+\text{etc.}+[cl]\\
&\text{etc.}
\end{aligned}\right\} \quad (1)$$

Postquam quantitates x^0, y^0, z^0 etc. per eliminationem hinc derivatae sunt, statuetur

$$\left.\begin{aligned}
ax^0+by^0+cz^0+\text{etc.}+l &= L\\
a'x^0+b'y^0+c'z^0+\text{etc.}+l' &= L'\\
a''x^0+b''y^0+c''z^0+\text{etc.}+l'' &= L''\\
&\text{etc.}
\end{aligned}\right\} \quad (2)$$

His ita factis, functio quantitatum v, v', v'' etc. ea ad determinationem incognitae nostrae maxime idonea minimaeque incertitudini obnoxia erit, cuius quotientes differentiales partiales in casu determinato de quo agitur habent valores L, L', L'' etc. resp., pondusque huius determinationis, quod per P denotabimus, erit

$$= \frac{1}{\frac{LL}{p}+\frac{L'L'}{p'}+\frac{L''L''}{p''}+\text{etc.}} \quad (3)$$

sive $\frac{1}{P}$ erit valor polynomii supra allati pro eo systemate valorum quantitatum x, y, z etc., per quod aequationibus (1) satisfit.

6.

In art. praec. eam functionem U dignoscere docuimus, quae determinationi maxime idoneae incognitae nostrae inservit: videamus iam, quemnam *valorem* incognita hoc modo assequatur. Designetur hic valor per K, qui itaque oritur, si in U valores observati quantitatum v, v', v'' etc. substituuntur; per eandem substitutionem obtineat functio u valorem k; denique sit $\varkappa$ valor verus incognitae, qui proin e valoribus veris quantitatum v, v', v'' etc. proditurus esset, si hos vel in U vel in u substituere possemus. Hinc itaque erit

$$\begin{aligned}
k &= \varkappa+le+l'e'+l''e''+\text{etc.}\\
K &= \varkappa+Le+L'e'+L''e''+\text{etc.}
\end{aligned}$$

adeoque

$$K = k(L-l)e+(L'-l')e'+(L''-l'')e''+\text{etc.}$$

Substituendo in hac aequatione pro $L-l$, $L'-l'$, $L''-l''$ etc. valores ex (2), statuendoque

$$\left.\begin{aligned}
ae+a'e'+a''e''+\text{etc.} &= \mathfrak{A}\\
be+b'e'+b''e''+\text{etc.} &= \mathfrak{B}\\
ce+c'e'+c''e''+\text{etc.} &= \mathfrak{C}
\end{aligned}\right\} \quad (4)$$

etc., habebimus

$$K = k+\mathfrak{A}x^0+\mathfrak{B}y^0+\mathfrak{C}z^0+\text{etc.} \quad (5)$$

Valores quantitatum $\mathfrak{A}$, $\mathfrak{B}$, $\mathfrak{C}$ etc. per formulas (4) quidem calculare non possumus, quum errores e, e', e'' etc. maneant incogniti; at sponte manifestum est, illos nihil aliud esse, nisi valores functionum X, Y, Z etc., qui prodeunt, si pro v, v', v'' etc. valores observati substituuntur. Hoc modo systema aequationum (1), (3), (5) completam problematis nostri solutionem exhibet, quum ea, quae in fine art. 2. de computo quantitatum l, l', l'' etc., valoribus observatis quantita-

tum v, v', v'' etc. superstruendo monuimus, manifesto aequali iure ad computum quantitatum a, a', a'' etc. b, b', b'' etc. etc. extendere liceat.

7.

Loco formulae (3), pondus determinationis maxime plausibilis exprimentis, plures aliae exhiberi possunt, quas evolvere operae pretium erit.

Primo observamus, si aequationes (2) resp. per $\frac{a}{p}, \frac{a'}{p'}, \frac{a''}{p''}$ etc. multiplicentur et addantur, prodire

$$[aa]x^0+[ab]y^0+[ac]z^0+\text{etc.} = \frac{aL}{p}+\frac{a'L'}{p'}+\frac{a''L''}{p''}+\text{etc.}$$

Pars ad laevam fit $= 0$, partem ad dextram iuxta analogiam per $[aL]$ denotamus: habemus itaque

$$[aL] = 0, \text{ et prorsus simili modo } [bL] = 0, \ [cL] = 0 \text{ etc.}$$

Multiplicando porro aequationes (2) deinceps per $\frac{L}{p}, \frac{L'}{p'}, \frac{L''}{p''}$ etc., et addendo, invenimus

$$\frac{lL}{p}+\frac{l'L'}{p'}+\frac{l''L''}{p''}+\text{etc.} = \frac{LL}{p}+\frac{L'L'}{p'}+\frac{L''L''}{p''}+\text{etc.}$$

unde obtinemus expressionem *secundam* pro pondere,

$$P = \frac{1}{\frac{lL}{p}+\frac{l'L'}{p'}+\frac{l''L''}{p''}+\text{etc.}}$$

Denique multiplicando aequationes (2) deinceps per $\frac{l}{p}, \frac{l'}{p'}, \frac{l''}{p''}$ etc., et addendo, pervenimus ad expressionem *tertiam* ponderis

$$P = \frac{1}{[al]x^0+[bl]y^0+[cl]z^0+\text{etc.}+[ll]}$$

si ad instar reliquarum denotationum statuimus

$$\frac{ll}{p}+\frac{l'l'}{p'}+\frac{l''l''}{p''}+\text{etc.} = [ll]$$

Hinc adiumento aequationum (1) facile fit transitus ad *expressionem quartam*, quam ita exhibemus:

$$\frac{1}{P} = [ll] - [aa]x^0x^0 - [bb]y^0y^0 - [cc]z^0z^0 - \text{etc.}$$
$$- 2[ab]x^0y^0 - 2[ac]x^0z^0 - 2[bc]y^0z^0 - \text{etc.}$$

8.

Solutio generalis, quam hactenus explicavimus, ei potissimum casui adaptata est, ubi *una* incognita a quantitatibus observatis pendens determinanda est. Quoties vero plures incognitae ab iisdem observationibus pendentes valores maxime plausibiles exspectant, vel quoties adhuc incertum est, quasnam potissimum incognitas ex observationibus derivare oporteat, has alia ratione praeparare conveniet, cuius evolutionem iam aggredimur.

Considerabimus quantitates x, y, z etc. tamquam indeterminatas, statuemus

$$\left.\begin{aligned}[aa]x+[ab]y+[ac]z+\text{etc.} &= \xi\\ [ab]x+[bb]y+[bc]z+\text{etc.} &= \eta\\ [ac]x+[bc]y+[cc]z+\text{etc.} &= \zeta\end{aligned}\right\} \quad (6)$$

etc., supponemusque, per eliminationem hinc sequi

$$\left.\begin{aligned}[\alpha\alpha]\xi+[\alpha\vec{\sigma}]\eta+[\alpha\gamma]\zeta+\text{etc.} &= x\\ [\vec{\sigma}\alpha]\xi+[\vec{\sigma}\vec{\sigma}]\eta+[\vec{\sigma}\gamma]\zeta+\text{etc.} &= y\\ [\gamma\alpha]\xi+[\gamma\vec{\sigma}]\eta+[\gamma\gamma]\zeta+\text{etc.} &= z\end{aligned}\right\} \quad (7)$$

etc.

Ante omnia hic observare oportet, coëfficientes symmetrice positos necessario aequales fieri, puta

$$[\vec{\sigma}\alpha] = [\alpha\vec{\sigma}]$$
$$[\gamma\alpha] = [\alpha\gamma]$$
$$[\gamma\vec{\sigma}] = [\vec{\sigma}\gamma]$$
etc.

quod quidem e theoria generali eliminationis in aequationibus linearibus sponte sequitur, sed etiam infra, absque illa, directe demonstrabitur.

Habebimus itaque

$$\left.\begin{aligned}x^0 &= -[\alpha\alpha].[al]-[\alpha\vec{\sigma}].[bl]-[\alpha\gamma].[cl]-\text{etc.}\\ y^0 &= -[\alpha\vec{\sigma}].[al]-[\vec{\sigma}\vec{\sigma}].[bl]-[\vec{\sigma}\gamma].[cl]-\text{etc.}\\ z^0 &= -[\alpha\gamma].[al]-[\vec{\sigma}\gamma].[bl]-[\gamma\gamma].[cl]-\text{etc.}\end{aligned}\right\} \quad (8)$$
etc.

unde, si statuimus

$$\left.\begin{array}{l}[\alpha\alpha]\mathfrak{A}+[\alpha\mathfrak{b}]\mathfrak{B}+[\alpha\gamma]\mathfrak{C}+\text{etc.}=A\\ [\alpha\mathfrak{b}]\mathfrak{A}+[\mathfrak{b}\mathfrak{b}]\mathfrak{B}+[\mathfrak{b}\gamma]\mathfrak{C}+\text{etc.}=B\\ [\alpha\gamma]\mathfrak{A}+[\mathfrak{b}\gamma]\mathfrak{B}+[\gamma\gamma]\mathfrak{C}+\text{etc.}=\mathfrak{C}\end{array}\right\}\quad(9)$$

etc., obtinemus

$$L=k-A[al]-B[bl]-C[cl]-\text{etc.}$$

vel si insuper statuimus

$$\left.\begin{array}{l}aA+bB+cC+\text{etc.}=p\varepsilon\\ a'A+b'B+c'C+\text{etc.}=p'\varepsilon'\\ a''A+b''B+c''C+\text{etc.}=p''\varepsilon''\end{array}\right\}\quad(10)$$

etc., erit

$$K=k-l\varepsilon-l'\varepsilon'-l''\varepsilon''-\text{etc.}\quad(11)$$

9.

Comparatio aequationum (7), (9) docet, quantitates auxiliares A, B, C etc. esse valores indeterminatarum x, y, z etc. respondentes valoribus indeterminatarum ξ, η, ζ etc. his $\xi=\mathfrak{A}$, $\eta=\mathfrak{B}$, $\zeta=\mathfrak{C}$ etc., unde patet haberi

$$\left.\begin{array}{l}[aa]A+[ab]B+[ac]C+\text{etc.}=\mathfrak{A}\\ [ab]A+[bb]B+[bc]C+\text{etc.}=\mathfrak{B}\\ [ac]A+[bc]B+[cc]C+\text{etc.}=\mathfrak{C}\end{array}\right\}\quad(12)$$

etc. Multiplicando itaque aequationes (10) resp. per $\frac{a}{p}$, $\frac{a'}{p'}$, $\frac{a''}{p''}$ etc. et addendo, obtinemus

$$\left.\begin{array}{l}\mathfrak{A}=a\varepsilon+a'\varepsilon'+a''\varepsilon''+\text{etc.}\\ \text{et prorsus simili modo}\\ \mathfrak{B}=b\varepsilon+b'\varepsilon'+b''\varepsilon''+\text{etc.}\\ \mathfrak{C}=c\varepsilon+c'\varepsilon'+c''\varepsilon''+\text{etc.}\end{array}\right\}\quad(13)$$

etc. Iam quum $\mathfrak{A}$ sit valor functionis X, si pro v, v', v'' etc. valores observati substituuntur, facile perspicietur, si his applicentur correctiones $-\varepsilon$, $-\varepsilon'$, $-\varepsilon''$ etc. resp., functionem X hinc adepturam esse valorem 0, et perinde functiones

Y, Z etc. hinc ad valorem evanescentem reductum iri. Simili ratione ex aequatione (11) colligitur, K esse valorem functionis u ex eadem substitutione emergentem.

Applicationem correctionum $-\varepsilon$, $-\varepsilon'$, $-\varepsilon''$ etc. ad observationes, vocabimus *observationum compensationem*, manifestoque deducti sumus ad conclusionem gravissimam, puta, observationes eo quem docuimus modo compensatas omnibus aequationibus conditionalibus exacte satisfacere, atque cuilibet quantitati ab observationibus quomodocunque pendenti eum ipsum valorem conciliare, qui ex observationum non mutatarum combinatione maxime idonea emergeret. Quum itaque impossibile sit, errores ipsos e, e', e'' etc. ex aequationibus conditionalibus eruere, quippe quarum multitudo haud sufficit, saltem *errores maxime plausibiles* nacti sumus, qua denominatione quantitates ε, ε', ε'' etc. designare licebit.

10.

Quum multitudo observationum maior esse supponatur multitudine aequationum conditionalium, praeter systema correctionum maxime plausibilium $-\varepsilon$, $-\varepsilon'$, $-\varepsilon''$ etc. infinite multa alia inveniri possunt, quae aequationibus conditionalibus satisfaciant, operaeque pretium est indagare, quomodo haec ad illud se habeant. Constituant itaque $-E$, $-E'$, $-E''$ etc. tale systema a maxime plausibili diversum, habebimusque

$$\begin{array}{l}aE+a'E'+a''E''+\text{etc.}=\mathfrak{A}\\ bE+b'E'+b''E''+\text{etc.}=\mathfrak{B}\\ cE+c'E'+c''E''+\text{etc.}=\mathfrak{C}\end{array}$$

etc. Multiplicando has aequationes resp. per A, B, C etc. et addendo, obtinemus adiumento aequationum (10)

$$p\varepsilon E+p'\varepsilon'E'+p''\varepsilon''E''+\text{etc.}=A\mathfrak{A}+B\mathfrak{B}+C\mathfrak{C}+\text{etc.}$$

Prorsus vero simili modo aequationes (13) suppeditant

$$p\varepsilon\varepsilon+p'\varepsilon'\varepsilon'+p''\varepsilon''\varepsilon''+\text{etc.}=A\mathfrak{A}+B\mathfrak{B}+C\mathfrak{C}+\text{etc.}\quad(14)$$

E combinatione harum duarum aequationum facile deducitur

$$\begin{array}{l}pEE+p'E'E'+p''E''E''+\text{etc.}\\ =p\varepsilon\varepsilon+p'\varepsilon'\varepsilon'+p''\varepsilon''\varepsilon''+\text{etc.}+p(E-\varepsilon)^2+p'(E'-\varepsilon')^2+p''(E''-\varepsilon'')^2+\text{etc.}\end{array}$$

Aggregatum $pEE+p'E'E'+p''E''E''+$ etc. itaque necessario *maius* erit aggregato $p\varepsilon\varepsilon+p'\varepsilon'\varepsilon'+p''\varepsilon''\varepsilon''+$ etc., quod enuntiari potest tamquam

THEOREMA. *Aggregatum quadratorum correctionum, per quas observationes cum aequationibus conditionalibus conciliare licet, per pondera observationum resp. multiplicatorum, fit minimum, si correctiones maxime plausibiles adoptantur.*

Hoc est ipsum principium quadratorum minimorum, ex quo etiam aequationes (12), (10) facile immediate derivari possunt. Ceterum pro hoc aggregato minimo, quod in sequentibus per S denotabimus, aequatio (14) nobis suppeditat expressionem $A\mathfrak{A}+B\mathfrak{B}+C\mathfrak{C}+$ etc.

11.

Determinatio errorum maxime plausibilium, quum a coëfficientibus l, l', l'' etc. independens sit, manifesto praeparationem commodissimam sistit, ad quemvis usum, in quem observationes vertere placuerit. Praeterea perspicuum est, ad illud negotium haud opus esse eliminatione *indefinita* seu cognitione coëfficientium $[\alpha\alpha]$, $[\alpha\vec{6}]$ etc., nihilque aliud requiri, nisi ut quantitates auxiliares A, B, C etc., quas in sequentibus *correlata* aequationum conditionalium $X=0$, $Y=0$, $Z=0$ etc. vocabimus, ex aequationibus (12) per eliminationem definitam eliciantur atque in formulis (10) substituantur.

Quamquam vero haec methodus nihil desiderandum linquat, quoties quantitatum ab observationibus pendentium valores maxime plausibiles tantummodo requiruntur, tamen res secus se habere videtur, quoties insuper pondus alicuius determinationis in votis est, quum ad hunc finem, prout hac vel illa quatuor expressionum supra traditarum uti placuerit, cognitio quantitatum L, L', L'' etc., vel saltem cognitio harum x^0, y^0, z^0 etc. necessaria videatur. Hac ratione utile erit, negotium eliminationis accuratius perscrutari, unde via facilior ad pondera quoque invenienda se nobis aperiet.

12.

Nexus quantitatum in hac disquisitione occurrentium haud parum illustratur per introductionem functionis indefinitae secundi ordinis

$$[aa]xx+2[ab]xy+2[ac]xz+\text{ etc.}+[bb]yy+2[bc]yz+\text{ etc.}+[cc]zz+\text{ etc.}$$

quam per T denotabimus. Primo statim obvium est, hanc functionem fieri

$$\frac{(ax+by+cz+\text{ etc.})^2}{p}+\frac{(a'x+b'y+c'z+\text{ etc.})^2}{p'}+\frac{(a''x+b''y+c''z+\text{ etc.})^2}{p''}+\text{ etc.} \qquad (15)$$

Porro patet, esse

$$T=x\xi+y\eta+z\zeta+\text{ etc.} \qquad (16)$$

et si hic denuo x, y, z etc. adiumento aequationum (7) per ξ, η, ζ etc. exprimuntur,

$$T=[\alpha\alpha]\xi\xi+2[\alpha\vec{6}]\xi\eta+2[\alpha\gamma]\xi\zeta+\text{ etc.}+[\vec{6}\vec{6}]\eta\eta+2[\vec{6}\gamma]\eta\zeta+\text{ etc.}+[\gamma\gamma]\zeta\zeta+\text{ etc.}$$

Theoria supra evoluta bina systemata valorum determinatorum quantitatum x, y, z etc., atque ξ, η, ζ etc. continet; priori, in quo $x=x^0$, $y=y^0$, $z=z^0$ etc. $\xi=-[al]$, $\eta=-[bl]$, $\zeta=-[cl]$ etc., respondebit valor ipsius T hic

$$T=[ll]-\tfrac{1}{P}$$

quod vel per expressionem tertiam ponderis P cum aequatione (16) comparatam, vel per quartam sponte elucet; posteriori, in quo $x=A$, $y=B$, $z=C$ etc., atque $\xi=\mathfrak{A}$, $\eta=\mathfrak{B}$, $\zeta=\mathfrak{C}$ etc., respondet valor $T=S$, uti vel e formulis (10) et (15), vel ex his (14) et (16) manifestum est.

13.

Iam negotium principale consistit in transformatione functionis T ei simili, quam in Theoria Motus Corporum Coelestium art. 182 atque fusius in Disquisitione de elementis ellipticis Palladis exposuimus. Scilicet statuemus (17)

$$[bb,1]=[bb]-\frac{[ab]^2}{[aa]}$$
$$[bc,1]=[bc]-\frac{[ab][ac]}{[aa]}$$
$$[bd,1]=[bd]-\frac{[ab][ad]}{[aa]}$$
etc.
$$[cc,2]=[cc]-\frac{[ac]^2}{[aa]}-\frac{[bc,1]^2}{[bb,1]}$$
$$[cd,2]=[cd]-\frac{[ac][ad]}{[aa]}-\frac{[bc,1][bd,1]}{[bb,1]}$$
etc.
$$[dd,3]=[dd]-\frac{[ad]^2}{[aa]}-\frac{[bd,1]^2}{[bb,1]}-\frac{[cd,2]^2}{[cc,2]}$$

etc. etc. Dein statuendo*)

$$\begin{aligned}[bb,1]y+[bc,1]z+[bd,1]w+\text{ etc.} &= \eta'\\ [cc,2]z+[cd,2]w+\text{ etc.} &= \zeta''\\ [dd,3]w+\text{ etc.} &= \varphi'''\\ &\text{etc., erit}\end{aligned}$$

$$T=\frac{\xi\xi}{[aa]}+\frac{\eta'\eta'}{[bb,1]}+\frac{\zeta''\zeta''}{[cc,2]}+\frac{[\varphi'''\varphi''']}{[dd,3]}+\text{ etc.}$$

quantitatesque η', ζ'', φ''' etc. a ξ, η, ζ, φ etc. pendebunt per aequationes sequentes:

$$\begin{aligned}\eta' &= \eta-\frac{[ab]}{[aa]}\xi\\ \zeta'' &= \zeta-\frac{[ac]}{[aa]}\xi-\frac{[bc,1]}{[bb,1]}\eta'\\ \varphi''' &= \varphi-\frac{[ad]}{[aa]}\xi-\frac{[bd,1]}{[bb,1]}\eta'-\frac{[cd,2]}{[cc,2]}\zeta''\\ &\text{etc.}\end{aligned}$$

Facile iam omnes formulae ad propositum nostrum necessariae hinc desumuntur. Scilicet ad determinationem correlatorum A, B, C etc. statuemus (18)

$$\begin{aligned}\mathfrak{B}' &= \mathfrak{B}-\frac{[ab]}{[aa]}\mathfrak{A}\\ \mathfrak{C}'' &= \mathfrak{C}-\frac{[ac]}{[aa]}\mathfrak{A}-\frac{[bc,1]}{[bb,1]}\mathfrak{B}'\\ \mathfrak{D}''' &= \mathfrak{D}-\frac{[ad]}{[aa]}\mathfrak{A}-\frac{[bd,1]}{[bb,1]}\mathfrak{B}'-\frac{[cd,2]}{[cc,2]}\mathfrak{C}''\end{aligned}$$

etc., ac dein A, B, C, D etc. eruentur per formulas sequentes, et quidem ordine inverso, incipiendo ab ultima,

$$\left.\begin{aligned}[aa]A+[ab]B+[ac]C+[ad]D+\text{ etc.} &= \mathfrak{A}\\ [bb,1]B+[bc,1]C+[bd,1]D+\text{ etc.} &= \mathfrak{B}'\\ [cc,2]C+[cd,2]D+\text{ etc.} &= \mathfrak{C}''\\ [dd,3]D+\text{ etc.} &= \mathfrak{D}'''\\ &\text{etc.}\end{aligned}\right\}\quad(19)$$

*) In praecedentibus sufficere poterant ternae literae pro variis systematibus quantitatum ad tres primas aequationes conditionales referendae: hoc vero loco, ut algorithmi lex clarius eluceat, quartum adiungere visum est; et quum in serie naturali literas a, b, c; A, B, C; $\mathfrak{A}$, $\mathfrak{B}$, $\mathfrak{C}$ sponte sequantur d, D, $\mathfrak{D}$ in serie x, y, z, deficiente alphabeto, apposuimus w, nec non in hac ξ, η, ζ hanc φ.

Pro aggregato S autem habemus formulam novam (20)

$$S=\frac{\mathfrak{A}\mathfrak{A}}{[aa]}+\frac{\mathfrak{B}'\mathfrak{B}'}{[bb,1]}+\frac{\mathfrak{C}''\mathfrak{C}''}{[cc,2]}+\frac{\mathfrak{D}'''\mathfrak{D}'''}{[dd,3]}\text{ etc.}$$

Denique si pondus P, quod determinationi maxime plausibili quantitatis per functionem u expressae tribuendum est, desideratur, faciemus (21)

$$\begin{aligned}[bl,1] &= [bl]-\frac{[ab][al]}{[aa]}\\ [cl,2] &= [cl]-\frac{[ac][al]}{[aa]}-\frac{[bc,1][bl,1]}{[bb,1]}\\ [dl,3] &= [dl]-\frac{[ad][al]}{[aa]}-\frac{[bd,1][bl,1]}{[bb,1]}-\frac{[cd,2][cl,2]}{[cc,2]}\end{aligned}$$

etc., quo facto erit (22)

$$\frac{1}{P}=[ll]-\frac{[al]^2}{[aa]}-\frac{[bl,1]^2}{[bb,1]}-\frac{[cl,2]^2}{[cc,2]}-\frac{[dl,3]^2}{[dd,3]}-\text{ etc.}$$

Formulae (17) . . . . (22), quarum simplicitas nihil desiderandum relinquere videtur, solutionem problematis nostri ab omni parte completam exhibent.

14.

Postquam problemata primaria absolvimus, adhuc quasdam quaestiones secundarias attingemus, quae huic argumento maiorem lucem affundent.

Primo inquirendum est, num eliminatio, per quam x, y, z etc. ex ξ, η, ζ etc. derivare oportet, umquam impossibilis fieri possit. Manifesto hoc eveniret, si functiones ξ, η, ζ etc. inter se haud independentes essent. Supponamus itaque aliquantisper, unam earum per reliquas iam determinari, ita ut habeatur aequatio identica

$$\alpha\xi+\vartheta\eta+\gamma\zeta+\text{ etc.} = 0$$

denotantibus α, ϑ, γ etc. numeros determinatos. Erit itaque

$$\begin{aligned}\alpha[aa]+\vartheta[ab]+\gamma[ac]+\text{ etc.} &= 0\\ \alpha[ab]+\vartheta[bb]+\gamma[bc]+\text{ etc.} &= 0\\ \alpha[ac]+\vartheta[bc]+\gamma[cc]+\text{ etc.} &= 0\end{aligned}$$

etc., unde, si statuimus

$$\begin{aligned} \alpha a + \vartheta b + \gamma c + \text{etc.} &= p\mathfrak{0} \\ \alpha a' + \vartheta b' + \gamma c' + \text{etc.} &= p'\mathfrak{0}' \\ \alpha a'' + \vartheta b'' + \gamma c'' + \text{etc.} &= p''\mathfrak{0}'' \end{aligned}$$

etc., sponte sequitur

$$\begin{aligned} a\mathfrak{0} + a'\mathfrak{0}' + a''\mathfrak{0}'' + \text{etc.} &= 0 \\ b\mathfrak{0} + b'\mathfrak{0}' + b''\mathfrak{0}'' + \text{etc.} &= 0 \\ c\mathfrak{0} + c'\mathfrak{0}' + c''\mathfrak{0}'' + \text{etc.} &= 0 \end{aligned}$$

etc., nec non

$$p\mathfrak{0}\mathfrak{0} + p'\mathfrak{0}'\mathfrak{0}' + p''\mathfrak{0}''\mathfrak{0}'' + \text{etc.} = 0$$

quae aequatio, quum omnes p, p', p'' etc. natura sua sint quantitates positivae, manifesto consistere nequit, nisi fuerit $\mathfrak{0} = 0$, $\mathfrak{0}' = 0$, $\mathfrak{0}'' = 0$ etc.

Iam consideremus valores differentialium completorum $\mathrm{d}X$, $\mathrm{d}Y$, $\mathrm{d}Z$ etc., respondentes valoribus iis quantitatum v, v', v'' etc., ad quos referuntur observationes. Haec differentialia, puta

$$\begin{aligned} a\,\mathrm{d}v + a'\mathrm{d}v' + a''\mathrm{d}v'' + \text{etc.} \\ b\,\mathrm{d}v + b'\mathrm{d}v' + b''\mathrm{d}v'' + \text{etc.} \\ c\,\mathrm{d}v + c'\mathrm{d}v' + c''\mathrm{d}v'' + \text{etc.} \end{aligned}$$

etc., per conclusionem, ad quam modo delati sumus, inter se ita dependentia erunt, ut per $\alpha, \vartheta, \gamma$ etc. resp. multiplicata aggregatum identice evanescens producant, sive quod idem est, quodvis ex ipsis (cui quidem respondet multiplicator $\alpha, \vartheta, \gamma$ etc. non evanescens) sponte evanescet, simulac omnia reliqua evanescere supponuntur. Quamobrem ex aequationibus conditionalibus $X = 0$, $Y = 0$, $Z = 0$ etc., una (ad minimum) pro *superflua* habenda est, quippe cui sponte satisfit, simulac reliquis satisfactum est.

Ceterum si res profundius inspicitur, apparet, hanc conclusionem per se tantum pro ambitu infinite parvo variabilitatis indeterminatarum valere. Scilicet proprie duo casus distinguendi erunt, alter, ubi una aequationum conditionalium $X = 0$, $Y = 0$, $Z = 0$ etc. absolute et generaliter iamiam in reliquis contenta est, quod facile in quovis casu averti poterit; alter, ubi, quasi fortuito, pro iis valoribus concretis quantitatum v, v', v'' etc., ad quos observationes referuntur, una functionum X, Y, Z etc. e. g. prima X, valorem maximum vel minimum (vel generalius, stationarium) nanciscitur respectu mutationum omnium, quas quantitatibus v, v', v'' etc., salvis aequationibus $Y = 0$, $Z = 0$ etc., applicare possemus. Attamen quum in disquisitione nostra variabilitas quantitatum tantummodo intra limites tam arctos consideretur, ut ad instar infinite parvae tractari possit, hic casus secundus (qui in praxi vix umquam occurret) eundem effectum habebit, quem primus, puta una aequationum conditionalium tamquam superflua reiicienda erit, certique esse possumus, si omnes aequationes conditionales retentae eo sensu, quem hic intelligimus, ab invicem independentes sint, eliminationem necessario fore possibilem. Ceterum disquisitionem uberiorem, qua hoc argumentum, propter theoreticam subtilitatem potius quam practicam utilitatem haud indignum est, ad aliam occasionem nobis reservare debemus.

15.

In commentatione priore art. 37 sqq. methodum docuimus, observationum praecisionem a posteriori quam proxime eruendi. Scilicet si valores approximati π quantitatum per observationes aequali praecisione gaudentes innotuerunt, et cum valoribus iis comparantur, qui e valoribus maxime plausibilibus ρ elementorum, a quibus illae pendent, per calculum prodeunt: differentiarum quadrata addere, aggregatumque per $\pi - \rho$ dividere oportet, quo facto quotiens considerari poterit tamquam valor approximatus quadrati erroris medii tali observationum generi inhaerentis. Quoties observationes inaequali praecisione gaudent, haec praecepta eatenus tantum mutanda sunt, ut quadrata ante additionem per observationum pondera multiplicari debeant, errorque medius hoc modo prodiens ad observationes referatur, quarum pondus pro unitate acceptum est.

Iam in tractatione praesenti illud aggregatum manifesto quadrat cum aggregato S, differentiaque $\pi - \rho$ cum multitudine aequationum conditionalium σ, quamobrem pro errore medio observationum, quarum pondus $= 1$, habebimus expressionem $\sqrt{\frac{S}{\sigma}}$, quae determinatio eo maiore fide digna erit, quo maior fuerit numerus σ.

Sed operae pretium erit, hoc etiam independenter a disquisitione priore stabilire. Ad hunc finem quasdam novas denotationes introducere conveniet. Scilicet respondeant valoribus indeterminatarum ξ, η, ζ etc. his

$$\xi = a, \quad \eta = b, \quad \zeta = c, \text{ etc.}$$

valores ipsarum x, y, z etc. hi

$$x = \alpha, \quad y = \mathfrak{b}, \quad z = \gamma, \text{ etc.}$$

ita ut habeatur

$$\begin{aligned}\alpha &= a[\alpha\alpha] + b[\alpha\mathfrak{b}] + c[\alpha\gamma] + \text{etc.}\\ \mathfrak{b} &= a[\alpha\mathfrak{b}] + b[\mathfrak{b}\mathfrak{b}] + c[\mathfrak{b}\gamma] + \text{etc.}\\ \gamma &= a[\alpha\gamma] + b[\mathfrak{b}\gamma] + c[\gamma\gamma] + \text{etc.}\end{aligned}$$

etc. Perinde valoribus

$$\xi = a', \quad \eta = b', \quad \zeta = c', \text{ etc.}$$

respondere supponemus hos

$$x = \alpha', \quad y = \mathfrak{b}', \quad z = \gamma', \text{ etc.}$$

nec non his

$$\xi = a'', \quad \eta = b'', \quad \zeta = c'', \text{ etc.}$$

sequentes

$$x = \alpha'', \quad y = \mathfrak{b}'', \quad z = \gamma'', \text{ etc.}$$

et sic porro.

His positis combinatio aequationum (4), (9) suppeditat

$$\begin{aligned}A &= \alpha e + \alpha' e' + \alpha'' e'' + \text{ etc.}\\ B &= \mathfrak{b} e + \mathfrak{b}' e' + \mathfrak{b}'' e'' + \text{ etc.}\\ C &= \gamma e + \gamma' e' + \gamma'' e'' + \text{ etc.}\end{aligned}$$

etc. Quare quum habeatur $S = \mathfrak{A}A + \mathfrak{B}B + \mathfrak{C}C + \text{etc.}$, patet fieri

$$\begin{aligned}S = {} & (ae + a'e' + a''e'' + \text{etc.})(\alpha e + \alpha' e' + \alpha'' e'' + \text{etc.})\\ & + (be + b'e' + b''e'' + \text{etc.})(\mathfrak{b} e + \mathfrak{b}' e' + \mathfrak{b}'' e'' + \text{etc.})\\ & + (ce + c'e' + c''e'' + \text{etc.})(\gamma e + \gamma' e' + \gamma'' e'' + \text{etc.}) + \text{etc.}\end{aligned}$$

16.

Institutionem observationum, per quas valores quantitatum v, v', v'' etc. erroribus fortuitis e, e', e'' etc. affectos obtinemus, considerare possumus tamquam

experimentum, quod quidem singulorum errorum commissorum magnitudinem docere non valet, attamen, praeceptis quae supra explicavimus adhibitis, valorem quantitatis S subministrat, qui per formulam modo inventam est functio data illorum errorum. In tali experimento errores fortuiti utique alii maiores alii minores prodire possunt; sed quo plures errores concurrunt, eo maior spes aderit, valorem quantitatis S in experimento singulari a valore suo medio parum deviaturum esse. Rei cardo itaque in eo vertitur, ut valorem medium quantitatis S stabiliamus. Per principia in commentatione priore exposita, quae hic repetere superfluum esset, invenimus hunc valorem medium

$$\begin{aligned}= {} & (a\alpha + b\mathfrak{b} + c\gamma + \text{etc.})mm + (a'\alpha' + b'\mathfrak{b}' + c'\gamma' + \text{etc.})m'm'\\ & + (a''\alpha'' + b''\mathfrak{b}'' + c''\gamma'' + \text{etc.})m''m'' + \text{etc.}\end{aligned}$$

Denotando errorem medium observationum talium, quarum pondus $= 1$, per μ, ita ut sit $\mu\mu = pmm = p'm'm' = p''m''m''$ etc., expressio modo inventa ita exhiberi potest:

$$\begin{aligned}& (\tfrac{a\alpha}{p} + \tfrac{a'\alpha'}{p'} + \tfrac{a''\alpha''}{p''} \text{ etc.})\mu\mu + (\tfrac{b\mathfrak{b}}{p} + \tfrac{b'\mathfrak{b}'}{p'} + \tfrac{b''\mathfrak{b}''}{p''} + \text{etc.})\mu\mu\\ & + (\tfrac{c\mathfrak{I}}{p} + \tfrac{c'\gamma'}{p'} + \tfrac{c''\gamma''}{p''} + \text{etc.})\mu\mu + \text{etc.}\end{aligned}$$

Sed aggregatum $\frac{a\alpha}{p} + \frac{a'\alpha'}{p'} + \frac{a''\alpha''}{p''} + \text{etc.}$ invenitur

$$= [aa].[\alpha\alpha] + [ab].[\alpha\mathfrak{b}] + [ac].[\alpha\gamma] + \text{etc.}$$

adeoque $= 1$, uti e nexu aequationum (6), (7) facile intelligitur. Perinde fit

$$\begin{aligned}\tfrac{b\mathfrak{b}}{p} + \tfrac{b'\mathfrak{b}'}{p'} + \tfrac{b''\mathfrak{b}''}{p''} + \text{etc.} &= 1\\ \tfrac{c\mathfrak{I}}{p} + \tfrac{c'\gamma'}{p'} + \tfrac{c''\gamma''}{p''} + \text{etc.} &= 1\end{aligned}$$

et sic porro.

Hinc tandem valor medius ipsius S fit $= \sigma\mu\mu$, quatenusque igitur valorem fortuitum ipsius S pro medio adoptare licet, erit $\mu = \sqrt{\frac{S}{\sigma}}$.

17.

Quanta fides huic determinationi habenda sit, diiudicare oportet per errorem medium vel in ipsa vel in ipsius quadrato metuendum: posterior erit radix

quadrata valoris medii expressionis

$$(\frac{S}{\sigma}-\mu\mu)^2$$

cuius evolutio absolvetur per ratiocinia similia iis, quae in commentatione priore artt. 39 sqq. exposita sunt. Quibus brevitatis caussa hic suppressis, formulam ipsam tantum hic apponimus. Scilicet error medius in determinatione quadrati $\mu\mu$ metuendus exprimitur per

$$\sqrt{(\tfrac{2\mu^4}{\sigma}+\tfrac{\nu^4-3\mu^4}{\sigma\sigma}.N)}$$

denotante ν^4 valorem medium biquadratorum errorum, quorum pondus $=1$, atque N aggregatum

$$(a\alpha+b\beta+c\gamma+\text{etc.})^2+(a'\alpha'+b'\beta'+c'\gamma'+\text{etc.})^2+(a''\alpha''+b''\beta''+c''\gamma''+\text{etc.})^2 \text{ etc.}$$

Hoc aggregatum in genere ad formam simpliciorem reduci nequit, sed simili modo ut in art. 40 prioris commentationis ostendi potest, eius valorem semper contineri intra limites π et $\frac{\sigma\sigma}{\pi}$. In hypothesi ea, cui theoria quadratorum minimorum ab initio superstructa erat, terminus hoc aggregatum continens, propter $\nu^4=3\mu^4$, omnino excidit, praecisioque, quae errori medio, per formulam $\sqrt{\frac{S}{\sigma}}$ determinato, tribuenda est, eadem erit, ac si ex σ erroribus exacte cognitis secundum artt. 15, 16 prioris commentationis erutus fuisset.

18.

Ad compensationem observationum duo, ut supra vidimus, requiruntur: primum, ut aequationum conditionalium correlata, i. e. numeri A, B, C etc. aequationibus (12) satisfacientes eruantur, secundum, ut hi numeri in aequationibus (10) substituantur. Compensatio hoc modo prodiens dici poterit *perfecta* seu *completa*, ut distinguatur a compensatione *imperfecta* seu *manca*: hac scilicet denominatione designabimus, quae resultant ex iisdem quidem aequationibus (10), sed substratis valoribus quantitatum A, B, C etc., qui non satisfaciunt aequationibus (12), i. e. qui vel parti tantum satisfaciunt vel nullis. Quod vero attinet ad tales observationum mutationes, quae sub formulis (10) comprehendi nequeunt, a disquisitione praesenti, nec non a denominatione compensationum exclusae sunto. Quum, quatenus aequationes (10) locum habent, aequationes (13) ipsis (12) omnino sint aequivalentes, illud discrimen ita quoque enunciari potest: Ob-

servationes complete compensatae omnibus aequationibus conditionalibus $X=0$, $Y=0$, $Z=0$, etc. satisfaciunt, incomplete compensatae vero vel nullis vel saltem non omnibus; compensatio itaque, per quam omnibus aequationibus conditionalibus satisfit, necessario est ipsa completa.

The marine insurance of this shipment has been placed with the

Versicherungsgesellschaft Hamburg in Hamburg

Direktionszweigniederlassung Berlin W 9, Potsdamerstr. 21 a

In case of any claim arising under this insurance the consignees are requested to apply **at once** to the average commissioner of the Company or, if the underwriters are not represented at the port of destination, to te competent authorities in order to have the nature and the extent of the loss or damage ascertained by a party not interested in the affair. The inspection of the goods is to be held, if possible, in the presence of a representative of the shipowners.

Together with the certificate of survey the documents mentioned below must be submitted to the underwriters:

a) policy of insurance,
b) original invoice for the whole consignment,
c) bill of lading,
d) landing account, if any,
e) claim note.

Buchhandlung Gustav Fock G.m.b.H.
Schlossgasse 7-9 Leipzig C1 Markgrafenstr. 4-6

per formulas (111)

$$\begin{aligned} xp &= A^*a+B^*b+C^*c+\text{ etc.}\\ xp' &= A^*a'+B^*b'+C^*c'+\text{ etc.}\\ xp'' &= A^*a''+B^*b''+C^*c''+\text{ etc.} \end{aligned}$$

etc. Iam inquiramus, quomodo hae correctiones cum compensatione completa

quadrata valoris medii expressionis

$$(\tfrac{S}{2} - \mu\mu)^2$$

cuius evolutio absolvetur per ratiocinia similia iis, quae in commentatione priore artt. 39 sc
ipsam tar
$\mu\mu$ metu

denotante
que N ag

$(a\alpha + b\beta$

Hoc aggre
ut in art.
intra limit
initio supe
omnino ex
tribuenda
prioris con

Ad c
mum, ut
quationibu
bus (10) su
completa, u
nomination
sed substra
nibus (12), i. e. qui vel parti tantum satisfaciunt vel nullis. Quod vero attinet ad tales observationum mutationes, quae sub formulis (10) comprehendi nequeunt, a disquisitione praesenti, nec non a denominatione compensationum exclusae sunto. Quum, quatenus aequationes (10) locum habent, aequationes (13) ipsis (12) omnino sint aequivalentes, illud discrimen ita quoque enunciari potest: Ob-

servationes complete compensatae omnibus aequationibus conditionalibus $X = 0$, $Y = 0$, $Z = 0$, etc. satisfaciunt, incomplete compensatae vero vel nullis vel saltem non omnibus; compensatio itaque, per quam omnibus aequationibus conditionalibus satisfit, necessario est ipsa completa.

19.

Iam quum ex ipsa notione compensationis sponte sequatur, aggregata duarum compensationum iterum constituere compensationem, facile perspicitur, nihil interesse, utrum praecepta, per quae compensatio perfecta eruenda est, immediate ad observationes primitivas applicentur, an ad observationes incomplete iam compensatas.

Revera constituant -0, $-0'$, $-0''$ etc. systema compensationis incompletae, quod prodierit e formulis (I)

$$\begin{aligned} 0p &= A^0a + B^0b + C^0c + \text{etc.} \\ 0'p' &= A^0a' + B^0b' + C^0c' + \text{etc.} \\ 0''p'' &= A^0a'' + B^0b'' + C^0c'' + \text{etc.} \\ &\text{etc.} \end{aligned}$$

Quum observationes his compensationibus mutatae omnibus aequationibus conditionalibus non satisfacere supponantur, sint $\mathfrak{A}^*$, $\mathfrak{B}^*$, $\mathfrak{C}^*$ etc. valores, quos X, Y, Z etc. ex illarum substitutione nanciscuntur. Quaerendi sunt numeri A^*, B^*, C^* etc. aequationibus (II) satisfacientes

$$\begin{aligned} \mathfrak{A}^* &= A^*[aa] + B^*[ab] + C^*[ac] + \text{etc.} \\ \mathfrak{B}^* &= A^*[ab] + B^*[bb] + C^*[bc] + \text{etc.} \\ \mathfrak{C}^* &= A^*[ac] + B^*[bc] + C^*[cc] + \text{etc.} \end{aligned}$$

etc., quo facto compensatio completa observationum isto modo mutatarum efficitur per mutationes novas $-\varkappa$, $-\varkappa'$, $-\varkappa''$ etc., ubi $\varkappa$, $\varkappa'$, $\varkappa''$ etc. computandae sunt per formulas (III)

$$\begin{aligned} \varkappa p &= A^*a + B^*b + C^*c + \text{etc.} \\ \varkappa' p' &= A^*a' + B^*b' + C^*c' + \text{etc.} \\ \varkappa'' p'' &= A^*a'' + B^*b'' + C^*c'' + \text{etc.} \\ &\text{etc.} \end{aligned}$$

[Art. 12 neben der Gleichung, durch welche hier im Abdruck die Grösse w eingeführt wird] Das Zeichen ω ist gegen meine Absicht im Druck gebraucht: es sollte w sein.

[Art. 13 neben den Gleichungen, die sich auf die durch die Function $fv = v - i\log k$ bestimmte Abbildung beziehen, sind die entsprechenden Gleichungen für die Function $fv = av - i\log k$ verzeichnet, welche später in der ersten Abhandlung der Untersuchungen über Gegenstände der höhern Geodäsie aufgenommen wurden.]

DISQUISITIONES GENERALES

CIRCA SUPERFICIES CURVAS

AUCTORE

CAROLO FRIDERICO GAUSS

SOCIETATI REGIAE OBLATAE D. VIII. OCTOBR. MDCCCXXVII.

Commentationes societatis regiae scientiarum Gottingensis recentiores. Vol. VI.
Gottingae MDCCCXXVIII.

DISQUISITIONES GENERALES

CIRCA SUPERFICIES CURVAS.

1.

Disquisitiones, in quibus de directionibus variarum rectarum in spatio agitur, plerumque ad maius perspicuitatis et simplicitatis fastigium evehuntur, in auxilium vocando superficiem sphaericam radio $= 1$ circa centrum arbitrarium descriptam, cuius singula puncta repraesentare censebuntur directiones rectarum radiis ad illa terminatis parallelarum. Dum situs omnium punctorum in spatio per tres coordinatas determinatur, puta per distantias a tribus planis fixis inter se normalibus, ante omnia considerandae veniunt directiones axium his planis normalium: puncta superficiei sphaericae, quae has directiones repraesentant, per (1), (2), (3) denotabimus; mutua igitur horum distantia erit quadrans. Ceterum axium directiones versus eas partes acceptas supponemus, versus quas coordinatae respondentes crescunt.

2.

Haud inutile erit, quasdam propositiones, quae in huiusmodi quaestionibus usum frequentem offerunt, hic in conspectum producere.

I. Angulus inter duas rectas se secantes mensuratur per arcum inter puncta, quae in superficie sphaerica illarum directionibus respondent.

II. Situs cuiuslibet plani repraesentari potest per circulum maximum in superficie sphaerica, cuius planum illi est parallelum.

III. Angulus inter duo plana aequalis est angulo sphaerico inter circulos maximos illa repraesentantes, et proin etiam per arcum inter horum circulorum maximorum polos interceptum mensuratur. Et perinde inclinatio rectae ad planum mensuratur per arcum, a puncto, quod respondet directioni rectae: ad circulum maximum, qui plani situm repraesentat, normaliter ductum.

IV. Denotantibus x, y, z; x', y', z' coordinatas duorum punctorum, r eorumdem distantiam, atque L punctum, quod in superficie sphaerica repraesentat directionem rectae a puncto priore ad posterius ductae, erit

$$x' = x + r\cos(1)L, \quad y' = y + r\cos(2)L, \quad z' = z + r\cos(3)L$$

V. Hinc facile sequitur, haberi generaliter

$$\cos(1)L^2 + \cos(2)L^2 + \cos(3)L^2 = 1$$

nec non, denotante L' quodcunque aliud punctum superficiei sphaericae, esse

$$\cos(1)L\,.\cos(1)L' + \cos(2)L\,.\cos(2)L' + \cos(3)L\,.\cos(3)L' = \cos LL'$$

VI. Theorema. *Denotantibus L, L', L'', L''' quatuor puncta in superficie sphaerae, atque A angulum, quem arcus LL', $L''L'''$ in puncto concursus sui formant, erit*

$$\cos LL''.\cos L'L''' - \cos LL'''.\cos L'L'' = \sin LL'.\sin L''L'''.\cos A$$

Dem. Denotet litera A insuper punctum concursus ipsum, statuaturque

$$AL = t, \quad AL' = t', \quad AL'' = t'', \quad AL''' = t'''$$

Habemus itaque:

$$\begin{aligned}
\cos LL'' &= \cos t\cos t'' + \sin t\sin t''\cos A \\
\cos L'L''' &= \cos t'\cos t''' + \sin t'\sin t'''\cos A \\
\cos LL''' &= \cos t\cos t''' + \sin t\sin t'''\cos A \\
\cos L'L'' &= \cos t'\cos t'' + \sin t'\sin t''\cos A
\end{aligned}$$

et proin

$$\begin{aligned}
&\cos LL''.\cos L'L''' - \cos LL'''.\cos L'L'' \\
&\quad = \cos A(\cos t\cos t''\sin t'\sin t''' + \cos t'\cos t'''\sin t\sin t'' \\
&\qquad - \cos t\cos t'''\sin t'\sin t'' - \cos t'\cos t''\sin t\sin t''') \\
&\quad = \cos A(\cos t\sin t' - \sin t\cos t')(\cos t''\sin t''' - \sin t''\cos t''') \\
&\quad = \cos A.\sin(t' - t).\sin(t''' - t'') \\
&\quad = \cos A.\sin LL'.\sin L''L'''
\end{aligned}$$

Ceterum quum inde a puncto A bini rami utriusque circuli maximi proficiscantur, duo quidem ibi anguli formantur, quorum alter alterius complementum ad 180^0: sed analysis nostra monstrat, eos ramos adoptandos esse, quorum directiones cum sensu progressionis a puncto L ad L', et a puncto L'' ad L''' consentiunt: quibus intellectis simul patet, quum circuli maximi duobus punctis concurrant, arbitrarium esse, utrum eligatur. Loco anguli A etiam arcus inter polos circulorum maximorum, quorum partes sunt arcus LL', $L''L'''$, adhiberi potest: manifesto autem polos tales accipere oportet, qui respectu horum arcuum similiter iacent, puta vel uterque polus ad dextram iacens, dum a L versus L' atque ab L'' versus L''' procedimus, vel uterque ad laevam.

VII. Sint L, L', L'' tria puncta in superficie sphaerica, statuamusque brevitatis caussa

$$\begin{aligned}
\cos(1)L &= x, \quad \cos(2)L = y, \quad \cos(3)L = z \\
\cos(1)L' &= x', \quad \cos(2)L' = y', \quad \cos(3)L' = z' \\
\cos(1)L'' &= x'', \quad \cos(2)L'' = y'', \quad \cos(3)L'' = z''
\end{aligned}$$

nec non

$$xy'z'' + x'y''z + x''yz' - xy''z' - x'yz'' - x''y'z = \Delta$$

Designet λ polum circuli maximi, cuius pars est arcus LL', et quidem eum, qui respectu huius arcus similiter iacet, ac punctum (1) respectu arcus (2) (3). Tunc erit, ex theoremate praecedente, $yz' - y'z = \cos(1)\lambda.\sin(2)(3).\sin LL'$, sive, propter $(2)(3) = 90^0$,

$$\begin{aligned}
yz' - y'z &= \cos(1)\lambda.\sin LL', \text{ et perinde} \\
zx' - z'x &= \cos(2)\lambda.\sin LL' \\
xy' - x'y &= \cos(3)\lambda.\sin LL'
\end{aligned}$$

Multiplicando has aequationes resp. per x'', y'', z'' et addendo, obtinemus adiumento theorematis secundi in V prolati

$$\Delta = \cos\lambda L''.\sin LL'$$

Iam tres casus sunt distinguendi. *Primo*, quoties L'' iacet in eodem circulo maximo, cuius pars est arcus LL', erit $\lambda L'' = 90^0$, adeoque $\Delta = 0$. Quoties vero L'' iacet extra circulum illum maximum, aderit casus *secundus*, si est ab eadem parte, a qua est λ, *tertius*, si ab opposita: in his casibus puncta L, L', L''

formabunt triangulum sphaericum, et quidem iacebunt in casu secundo eodem ordine quo puncta (1), (2), (3), in casu tertio vero ordine opposito. Denotando angulos illius trianguli simpliciter per L, L', L'', atque perpendiculum in superficie sphaerica a puncto L'' ad latus LL' ductum per p, erit

$$\sin p = \sin L . \sin LL'' = \sin L' . \sin L'L'', \quad \text{atque} \quad \lambda L'' = 90^0 \mp p$$

valente signo superiori pro casu secundo, inferiori pro tertio. Hinc itaque colligimus

$$\mp\Delta = \sin L . \sin LL' . \sin LL'' = \sin L' . \sin LL' . \sin L'L'' = \sin L'' . \sin LL'' . \sin L'L''$$

Ceterum manifesto casus primus in secundo vel tertio comprehendi censeri potest, nulloque negotio perspicitur, $\mp\Delta$ exhibere sextuplum soliditatis pyramidis inter puncta L, L', L'' atque centrum sphaerae formatae. Denique hinc facillime colligitur, eandem expressionem $\mp\frac{1}{6}\Delta$ generaliter exprimere soliditatem cuiusvis pyramidis inter initium coordinatarum atque puncta quorum coordinatae sunt x, y, z; x', y', z'; x'', y'', z'', contentae.

3.

Superficies curva apud punctum A in ipsa situm curvatura continua gaudere dicitur, si directiones omnium rectarum ab A ad omnia puncta superficiei ab A infinite parum distantia ductarum infinite parum ab uno eodemque plano per A transiente deflectuntur: hoc planum superficiem curvam in puncto A *tangere* dicitur. Quodsi huic conditioni in aliquo puncto satisfieri nequit, continuitas curvaturae hic interrumpitur, uti e. g. evenit in cuspide coni. Disquisitiones praesentes ad tales superficies curvas, vel ad tales superficiei partes, restringentur, in quibus continuitas curvaturae nullibi interrumpitur. Hic tantummodo observamus, methodos, quae positioni plani tangentis determinandae inserviunt, pro punctis singularibus, in quibus continuitas curvaturae interrumpitur, vim suam perdere, et ad indeterminata perducere debere.

4.

Situs plani tangentis commodissime e situ rectae ipsi in puncto A normalis cognoscitur, quae etiam ipsi superficiei curvae normalis dicitur. Directionum huius normalis per punctum L in superficie sphaerae auxiliaris repraesentabimus, atque statuemus

$$\cos(1)L = X, \quad \cos(2)L = Y, \quad \cos(3)L = Z$$

coordinatas puncti A per x, y, z denotamus. Sint porro $x+\mathrm{d}x, y+\mathrm{d}y, z+\mathrm{d}z$ coordinatae alius puncti in superficie curva A'; $\mathrm{d}s$ ipsius distantia infinite parva ab A; denique λ punctum superficiei sphaericae repraesentans directionem elementi AA'. Erit itaque

$$\mathrm{d}x = \mathrm{d}s . \cos(1)\lambda, \quad \mathrm{d}y = \mathrm{d}s . \cos(2)\lambda, \quad \mathrm{d}z = \mathrm{d}s . \cos(3)\lambda$$

et, quum esse debeat $\lambda L = 90^0$,

$$X\cos(1)\lambda + Y\cos(2)\lambda + Z\cos(3)\lambda = 0$$

E combinatione harum aequationum derivamus

$$X\mathrm{d}x + Y\mathrm{d}y + Z\mathrm{d}z = 0$$

Duae habentur methodi generales ad exhibendam indolem superficiei curvae. Methodus *prima* utitur aequatione inter coordinatas x, y, z, quam reductam esse supponemus ad formam $W = 0$, ubi W erit functio indeterminatarum x, y, z. Sit differentiale completum functionis W

$$\mathrm{d}W = P\mathrm{d}x + Q\mathrm{d}y + R\mathrm{d}z$$

eritque in superficie curva

$$P\mathrm{d}x + Q\mathrm{d}y + R\mathrm{d}z = 0$$

et proin

$$P\cos(1)\lambda + Q\cos(2)\lambda + R\cos(3)\lambda = 0$$

Quum haec aequatio, perinde ut ea quam supra stabilivimus, valere debeat pro directionibus omnium elementorum $\mathrm{d}s$ in superficie curva, facile perspiciemus, X, Y, Z proportionales esse debere ipsis P, Q, R et proin, quum fiat

$$XX + YY + ZZ = 1$$

erit vel

$$X = \frac{P}{\sqrt{(PP+QQ+RR)}}, \quad Y = \frac{Q}{\sqrt{(PP+QQ+RR)}}, \quad Z = \frac{R}{\sqrt{(PP+QQ+RR)}}$$

vel

$$X = \frac{-P}{\sqrt{(PP+QQ+RR)}}, \quad Y = \frac{-Q}{\sqrt{(PP+QQ+RR)}}, \quad Z = \frac{-R}{\sqrt{(PP+QQ+RR)}}$$

Methodus *secunda* sistit coordinatas in forma functionum duarum variabilium p, q. Supponamus per differentiationem harum functionum prodire

$$\begin{aligned} \mathrm{d}x &= a\,\mathrm{d}p + a'\,\mathrm{d}q \\ \mathrm{d}y &= b\,\mathrm{d}p + b'\,\mathrm{d}q \\ \mathrm{d}z &= c\,\mathrm{d}p + c'\,\mathrm{d}q \end{aligned}$$

quibus valoribus in formula supra data substitutis, obtinemus

$$(aX+bY+cZ)\,\mathrm{d}p + (a'X+b'Y+c'Z)\,\mathrm{d}q = 0$$

Quum haec aequatio locum habere debeat independenter a valoribus differentialium $\mathrm{d}p$, $\mathrm{d}q$, manifesto esse debebit

$$aX+bY+cZ = 0, \quad a'X+b'Y+c'Z = 0$$

unde colligimus, X, Y, Z proportionales esse debere quantitatibus

$$bc'-cb', \quad ca'-ac', \quad ab'-ba'$$

Statuendo itaque brevitatis caussa

$$\sqrt{((bc'-cb')^2+(ca'-ac')^2+(ab'-ba')^2)} = \Delta$$

erit vel

$$X = \frac{bc'-cb'}{\Delta}, \quad Y = \frac{ca'-ac'}{\Delta}, \quad Z = \frac{ab'-ba'}{\Delta}$$

vel

$$X = \frac{cb'-bc'}{\Delta}, \quad Y = \frac{ac'-ca'}{\Delta}, \quad Z = \frac{ba'-ab'}{\Delta}$$

His duabus methodis generalibus accedit *tertia*, ubi una coordinatarum, e. g. z exhibetur in forma functionis reliquarum x, y: haec methodus manifesto nihil aliud est, nisi casus specialis vel methodi primae, vel secundae. Quodsi hic statuitur

$$\mathrm{d}z = t\,\mathrm{d}x + u\,\mathrm{d}y$$

erit vel

$$X = \frac{-t}{\sqrt{(1+tt+uu)}}, \quad Y = \frac{-u}{\sqrt{(1+tt+uu)}}, \quad Z = \frac{1}{\sqrt{(1+tt+uu)}}$$

vel

$$X = \frac{t}{\sqrt{(1+tt+uu)}}, \quad Y = \frac{u}{\sqrt{(1+tt+uu)}}, \quad Z = \frac{-1}{\sqrt{(1+tt+uu)}}$$

5.

Duae solutiones in art. praec. inventae manifesto ad puncta superficiei sphaericae opposita, sive ad directiones oppositas referuntur, quod cum rei natura quadrat, quum normalem ad utramvis plagam superficiei curvae ducere liceat. Quodsi duas plagas, superficiei contiguas, inter se distinguere, alteramque exteriorem alteram interiorem vocare placet, etiam utrique normali suam solutionem rite tribuere licebit adiumento theorematis in art. 2 (VII) evoluti, simulatque criterium stabilitum est ad plagam alteram ab altera distinguendam.

In methodo prima tale criterium petendum erit a signo valoris quantitatis W. Scilicet generaliter loquendo superficies curva eas spatii partes, in quibus W valorem positivum obtinet, ab iis dirimet, in quibus valor ipsius W fit negativus. E theoremate illo vero facile colligitur, si W valorem positivum obtineat versus plagam exteriorem: normalisque extrorsum ducta concipiatur, solutionem priorem adoptandam esse. Ceterum in quovis casu facile diiudicabitur, utrum per superficiem integram eadem regula respectu signi ipsius W valeat, an pro diversis partibus diversae: quamdiu coëfficientes P, Q, R valores finitos habent, nec simul omnes tres evanescunt, lex continuitatis vicissitudinem vetabit.

Si methodum secundam sequimur, in superficie curva duo systemata linearum curvarum concipere possumus, alterum, pro quo p est variabilis, q constans; alterum, pro quo q variabilis, p constans: situs mutuus harum linearum respectu plagae exterioris decidere debet, utram solutionem adoptare oporteat. Scilicet quoties tres lineae, puta ramus lineae prioris systematis a puncto A proficiscens crescente p, ramus posterioris systematis a puncto A egrediens crescente q, atque normalis versus plagam exteriorem ducta *similiter* iacent, ut, inde ab origine abscissarum, axes ipsarum x, y, z resp. (e. g. si tum e tribus lineis illis, tum e tribus his, prima sinistrorsum, secunda dextrorsum, tertia sursum directa concipi potest), solutio prima adoptari debet; quoties autem situs mutuus trium linearum oppositus est situi mutuo axium ipsarum x, y, z, solutio secunda valebit.

In methodo tertia dispiciendum est, utrum, dum z incrementum positivum accipit, manentibus x et y invariatis, transitus fiat versus plagam exteriorem an interiorem. In casu priore, pro normali extrorsum directa, solutio prima valet, in posteriore secunda.

6.

Sicuti, per translatam directionem normalis in superficiem curvam ad superficiem sphaerae, cuius puncto determinato prioris superficiei respondet punctum determinatum in posteriore, ita etiam quaevis linea, vel quaevis figura in illa repraesentabitur per lineam vel figuram correspondentem in hac. In comparatione duarum figurarum hoc modo sibi mutuo correspondentium, quarum altera quasi imago alterius erit, duo momenta sunt respicienda, alterum, quatenus sola quantitas consideratur, alterum, quatenus abstrahendo a relationibus quantitativis solum situm contemplamur.

Momentum primum basis erit quarundam notionum, quas in doctrinam de superficiebus curvis recipere utile videtur. Scilicet cuilibet parti superficiei curvae limitibus determinatis cinctae *curvaturam totalem* seu *integram* adscribemus, quae per aream figurae illi in superficie sphaerica respondentem exprimetur. Ab hac curvatura integra probe distinguenda est curvatura quasi specifica, quam nos *mensuram curvaturae* vocabimus: haec posterior ad *punctum* superficiei refertur, et denotabit quotientem qui oritur, dum curvatura integra elementi superficialis puncto adiacentis per aream ipsius elementi dividitur, et proin indicat rationem arearum infinite parvarum in superficie curva et in superficie sphaerica sibi mutuo respondentium. Utilitas harum innovationum per ea, quae in posterum a nobis explicabuntur, abunde, ut speramus, sancietur. Quod vero attinet ad terminologiam, imprimis prospiciendum esse duximus, ut omnis ambiguitas arceatur, quapropter haud congruum putavimus, analogiam terminologiae in doctrina de lineis curvis planis vulgo receptam (etsi non omnibus probatam) stricte sequi, secundum quam mensura curvaturae simpliciter audire debuisset curvatura, curvatura integra autem amplitudo. Sed quidni in verbis faciles esse liceret, dummodo res non sint inanes, neque dictio interpretationi erroneae obnoxia?

Situs figurae in superficie sphaerica vel similis esse potest situi figurae respondentis in superficie curva, vel oppositus (inversus); casus prior locum habet, ubi binae lineae in superficie curva ab eodem puncto directionibus inaequalibus sed non oppositis proficiscentes repraesentantur in superficie sphaerica per lineas similiter iacentes, puta ubi imago lineae ad dextram iacentis ipsa est ad dextram; casus posterior, ubi contrarium valet. Hos duos casus per *signum* mensurae curvaturae vel positivum vel negativum distinguemus. Sed manifesto haec distinctio eatenus tantum locum habere potest, quatenus in utraque superficie plagam determinatam eligimus, in qua figura concipi debet. In sphaera auxiliari semper plagam exteriorem, a centro aversam, adhibebimus: in superficie curva etiam plaga exterior sive quae tamquam exterior consideratur, adoptari potest, vel potius plaga eadem, a qua normalis erecta concipitur; manifesto enim respectu similitudinis figurarum nihil mutatur, si in superficie curva tum figura ad plagam oppositam transfertur, tum normalis, dummodo ipsius imago semper in eadem plaga superficiei sphaericae depingatur.

Signum positivum vel negativum, quod pro situ figurae infinite parvae *mensurae* curvaturae adscribimus, etiam ad curvaturam integram figurae finitae in superficie curva extendimus. Attamen si argumentum omni generalitate amplecti suscipimus, quaedam dilucidationes requiruntur, quas hic breviter tantum attingemus. Quamdiu figura in superficie curva ita comparata est, ut singulis punctis intra ipsam puncta *diversa* in superficie sphaerica respondeant, definitio ulteriore explicatione non indiget. Quoties autem conditio ista locum non habet, necesse erit, quasdam partes figurae in superficie sphaerica bis vel pluries in computum ducere, unde, pro situ simili vel opposito, vel accumulatio vel destructio oriri poterit. Simplicissimum erit in tali casu, figuram in superficie curva in partes tales divisam concipere, quae singulae per se spectatae conditioni illi satisfaciant, singulis tribuere curvaturam suam integram, quantitate per aream figurae in superficie sphaerica respondentis, signo per situm determinatis, ac denique figurae toti adscribere curvaturam integram ortam per additionem curvaturarum integrarum, quae singulis partibus respondent. Generaliter itaque curvatura integra figurae est $= \int k \, d\sigma$, denotante $d\sigma$ elementum areae figurae, k mensuram curvaturae in quovis puncto. Quod vero attinet ad repraesentationem geometricam huius integralis, praecipua huius rei momenta ad sequentia redeunt. Peripheriae figurae in superficie curva (sub restrictione art. 3) semper respondebit in superficie sphaerica linea in se ipsam rediens. Quae si se ipsam nullibi intersecat, totam superficiem sphaericam in duas partes dirimet, quarum altera respondebit figurae in superficie curva, et cuius area, positive vel negative accipienda, prout respectu peripheriae suae similiter iacet ut figura in superficie curva respectu suae, vel inverse, exhibebit posterioris curvaturam integram. Quoties vero linea ista se ipsam semel vel pluries secat, exhibebit figuram complicatam, cui tamen area certa aeque legitime tribui potest, ac figuris absque nodis, haecque area, rite intellecta, semper valorem iustum curvaturae integrae exhibebit. Attamen uberio-

rem huius argumenti de figuris generalissime conceptis expressionem ad aliam occasionem nobis reservare debemus.

7.

Investigemus iam formulam ad exprimendam mensuram curvaturae pro quovis puncto superficiei curvae. Denotante $\mathrm{d}\sigma$ aream elementi huius superficiei, $Z\mathrm{d}\sigma$ erit area proiectionis huius elementi in planum coordinatarum x, y; et perinde, si $\mathrm{d}\Sigma$ est area elementi respondentis in superficie sphaerica, erit $Z\mathrm{d}\Sigma$ area proiectionis ad idem planum: signum positivum vel negativum ipsius Z vero indicabit situm proiectionis similem vel oppositum situi elementi proiecti: manifesto itaque illae proiectiones eandem rationem quoad quantitatem, simulque eandem relationem quoad situm, inter se tenent, ut elementa ipsa. Consideremus iam elementum triangulare in superficie curva, supponamusque coordinatas trium punctorum, quae formant ipsius proiectionem, esse

$$\begin{array}{ll} x & y \\ x+\mathrm{d}x, & y+\mathrm{d}y \\ x+\delta x, & y+\delta y \end{array}$$

Duplex area huius trianguli exprimetur per formulam

$$\mathrm{d}x.\delta y - \mathrm{d}y.\delta x$$

et quidem in forma positiva vel negativa, prout situs lateris a puncto primo ad tertium respectu lateris a puncto primo ad secundum similis vel oppositus est situi axis coordinatarum y respectu axis coordinatarum x.

Perinde si coordinatae trium punctorum, quae formant proiectionem elementi respondentis in superficie sphaerica, a centro sphaerae inchoatae, sunt

$$\begin{array}{ll} X, & Y \\ X+\mathrm{d}X, & Y+\mathrm{d}Y \\ X+\delta X, & Y+\delta Y \end{array}$$

duplex area huius proiectionis exprimetur per

$$\mathrm{d}X.\delta Y - \mathrm{d}Y.\delta X$$

de cuius expressionis signo eadem valent quae supra. Quocirca mensura curva-

turae in hoc loco superficiei curvae erit

$$k = \frac{\mathrm{d}X.\delta Y - \mathrm{d}Y.\delta X}{\mathrm{d}x.\delta y - \mathrm{d}y.\delta x}$$

Quodsi iam supponimus, indolem superficiei curvae datam esse secundum modum tertium in art. 4 consideratum, habebuntur X et Y in forma functionum quantitatum x, y unde erit

$$\begin{aligned} \mathrm{d}X &= (\tfrac{\mathrm{d}X}{\mathrm{d}x})\mathrm{d}x + (\tfrac{\mathrm{d}X}{\mathrm{d}y})\mathrm{d}y \\ \delta X &= (\tfrac{\mathrm{d}X}{\mathrm{d}x})\delta x + (\tfrac{\mathrm{d}X}{\mathrm{d}y})\delta y \\ \mathrm{d}Y &= (\tfrac{\mathrm{d}Y}{\mathrm{d}x})\mathrm{d}x + (\tfrac{\mathrm{d}Y}{\mathrm{d}y})\mathrm{d}y \\ \delta Y &= (\tfrac{\mathrm{d}Y}{\mathrm{d}x})\mathrm{d}x + (\tfrac{\mathrm{d}Y}{\mathrm{d}y})\delta y \end{aligned}$$

Substitutis his valoribus, expressio praecedens transit in hanc:

$$k = (\tfrac{\mathrm{d}X}{\mathrm{d}x})(\tfrac{\mathrm{d}Y}{\mathrm{d}y}) - (\tfrac{\mathrm{d}X}{\mathrm{d}y})(\tfrac{\mathrm{d}Y}{\mathrm{d}x})$$

Statuendo ut supra

$$\tfrac{\mathrm{d}z}{\mathrm{d}x} = t, \quad \tfrac{\mathrm{d}z}{\mathrm{d}y} = u$$

atque insuper

$$\tfrac{\mathrm{d}\mathrm{d}z}{\mathrm{d}x^2} = T, \quad \tfrac{\mathrm{d}\mathrm{d}z}{\mathrm{d}x.\mathrm{d}y} = U, \quad \tfrac{\mathrm{d}\mathrm{d}z}{\mathrm{d}y^2} = V$$

sive

$$\mathrm{d}t = T\mathrm{d}x + U\mathrm{d}y, \quad \mathrm{d}u = U\mathrm{d}x + V\mathrm{d}y$$

habemus ex formulis supra datis

$$X = -tZ, \quad Y = -uZ, \quad (1+tt+uu)ZZ = 1$$

atque hinc

$$\begin{aligned} \mathrm{d}X &= -Z\mathrm{d}t - t\mathrm{d}Z \\ \mathrm{d}Y &= -Z\mathrm{d}u - u\mathrm{d}Z \\ (1+tt+uu)\mathrm{d}Z &+ Z(t\mathrm{d}t + u\mathrm{d}u) = 0 \end{aligned}$$

sive

$$\begin{aligned} \mathrm{d}Z &= -Z^3(t\mathrm{d}t + u\mathrm{d}u) \\ \mathrm{d}X &= -Z^3(1+uu)\mathrm{d}t + Z^3tu\mathrm{d}u \\ \mathrm{d}Y &= +Z^3tu\mathrm{d}t - Z^3(1+tt)\mathrm{d}u \end{aligned}$$

adeoque

$$\frac{\mathrm{d}X}{\mathrm{d}x} = Z^3(-(1+uu)T+tuU)$$
$$\frac{\mathrm{d}X}{\mathrm{d}y} = Z^3(-(1+uu)U+tuV)$$
$$\frac{\mathrm{d}Y}{\mathrm{d}x} = Z^3(tuT-(1+tt)U)$$
$$\frac{\mathrm{d}Y}{\mathrm{d}y} = Z^3(tuU-(1+tt)V)$$

quibus valoribus in expressione praecedente substitutis, prodit

$$k = Z^6(TV-UU)(1+tt+uu) = Z^4(TV-UU) = \frac{TV-UU}{(1+tt+uu)^2}$$

8.

Per idoneam electionem initii et axium coordinatarum facile effici potest, ut pro puncto determinato A valores quantitatum t, u, U evanescant. Scilicet duae priores conditiones iam adimplentur, si planum tangens in hoc puncto pro plano coordinatarum x, y adoptatur. Quarum initium si insuper in puncto A ipso collocatur, manifesto expressio coordinatarum z adipiscitur formam talem

$$z = \tfrac{1}{2}T^0xx+U^0xy+\tfrac{1}{2}V^0yy+\Omega$$

ubi Ω erit ordinis altioris quam secundi. Mutando dein situm axium ipsarum x, y angulo M tali ut habeatur

$$\operatorname{tang} 2M = \frac{2U^0}{T^0-V^0}$$

facile perspicitur, prodituram esse aequationem huius formae

$$z = \tfrac{1}{2}Txx+\tfrac{1}{2}Vyy+\Omega$$

quo pacto etiam tertiae conditioni satisfactum est. Quibus ita factis, patet

I. Si superficies curva secetur plano ipsi normali et per axem coordinatarum x transeunte, oriri curvam planam, cuius radius curvaturae in puncto A fiat $= \frac{1}{T}$, signo positivo vel negativo indicante concavitatem vel convexitatem versus plagam eam, versus quam coordinatae z sunt positivae.

II. Simili modo $\frac{1}{V}$ erit in puncto A radius curvaturae curvae planae, quae oritur per sectionem superficiei curvae cum plano per axes ipsarum y, z transeunte.

III. Statuendo $x = r\cos\varphi$, $y = r\sin\varphi$, fit

$$z = \tfrac{1}{2}(T\cos\varphi^2+V\sin\varphi^2)rr+\Omega$$

unde colligitur, si sectio fiat per planum superficiei in A normale et cum axe ipsarum x angulum φ efficiens, oriri curvam planam, cuius radius curvaturae in puncto A sit

$$= \frac{1}{T\cos\varphi^2+V\sin\varphi^2}$$

IV. Quoties itaque habetur $T = V$, radii curvaturae in *cunctis* planis normalibus aequales erunt. Si vero T et V sunt inaequales, manifestum est, quum $T\cos\varphi^2+V\sin\varphi^2$ pro quovis valore anguli φ cadat intra T et V, radios curvaturae in sectionibus principalibus, in I et II consideratis, referri ad curvaturas extremas, puta alterum ad curvaturam maximam, alterum ad minimam, si T et V eodem signo affectae sint, contra alterum ad maximam convexitatem, alterum ad maximam concavitatem, si T et V signis oppositis gaudeant. Hae conclusiones omnia fere continent, quae ill. Euler de curvatura superficierum curvarum primus docuit.

V. Mensura curvaturae superficiei curvae in puncto A autem nanciscitur expressionem simplicissimam $k = TV$, unde habemus

Theorema. *Mensura curvaturae in quovis superficiei puncto aequalis est fractioni, cuius numerator unitas, denominator autem productum duorum radiorum curvaturae extremorum in sectionibus per plana normalia.*

Simul patet, mensuram curvaturae fieri positivam pro superficiebus concavo-concavis vel convexo-convexis (quod discrimen non est essentiale), negativam vero pro concavo-convexis. Si superficies constat e partibus utriusque generis, in earum confiniis mensura curvaturae evanescens esse debebit. De indole superficierum curvarum talium, in quibus mensura curvaturae ubique evanescit, infra pluribus agetur.

9.

Formula generalis pro mensura curvaturae in fine art. 7 proposita, omnium simplicissima est, quippe quae quinque tantum elementa implicat; ad magis complicatam, scilicet novem elementa involventem, deferimur, si adhibere volumus

modum primum indolem superficiei curvae exprimendi. Retinendo notationes art. 4 insuper statuemus:

$$\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}W}{\mathrm{d}x^2} = P', \quad \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}W}{\mathrm{d}y^2} = Q', \quad \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}W}{\mathrm{d}z^2} = R'$$
$$\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}W}{\mathrm{d}y\,.\,\mathrm{d}z} = P'', \quad \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}W}{\mathrm{d}x\,.\,\mathrm{d}z} = Q'', \quad \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}W}{\mathrm{d}x\,.\,\mathrm{d}y} = R''$$

ita ut fiat

$$\mathrm{d}P = P'\mathrm{d}x + R''\mathrm{d}y + Q''\mathrm{d}z$$
$$\mathrm{d}Q = R''\mathrm{d}x + Q'\mathrm{d}y + P''\mathrm{d}z$$
$$\mathrm{d}R = Q''\mathrm{d}x + P''\mathrm{d}y + R'\mathrm{d}z$$

Iam quum habeatur $t = -\frac{P}{R}$, invenimus per differentiationem

$$RR\mathrm{d}t = -R\mathrm{d}P + P\mathrm{d}R = (PQ'' - RP')\mathrm{d}x + (PP'' - RR'')\mathrm{d}y + (PR' - RQ'')\mathrm{d}z$$

sive, eliminata $\mathrm{d}z$ adiumento aequationis $P\mathrm{d}x + Q\mathrm{d}y + R\mathrm{d}z = 0$,

$$R^3\mathrm{d}t = (-RRP' + 2PRQ'' - PPR')\mathrm{d}x + (PRP'' + QRQ' - PQR' - RRR'')\mathrm{d}y$$

Prorsus simili modo obtinemus

$$R^3\mathrm{d}u = (PRP'' + QRQ'' - PQR' - RRR'')\mathrm{d}x + (-RRQ' + 2QRP'' - QQR')\mathrm{d}y$$

Hinc itaque colligimus

$$R^3T = -RRP' + 2PRQ'' - PPR'$$
$$R^3U = \quad PRP'' + QRQ'' - PQR' - RRR''$$
$$R^3V = -RRQ' + 2QRP'' - QQR'$$

Substituendo hos valores in formula art. 7, obtinemus pro mensura curvaturae k expressionem symmetricam sequentem:

$$(PP + QQ + RR)^2 k$$
$$= PP(Q'R' - P''P'') + QQ(P'R' - Q''Q'') + RR(P'Q' - R''R'')$$
$$+ 2QR(Q''R'' - P'P'') + 2PR(P''R'' - Q'Q'') + 2PQ(P''Q'' - R'R'')$$

10.

Formulam adhuc magis complicatam, puta e quatuordecim elementis conflatam, obtinemus, si methodum generalem secundam, indolem superficierum

curvarum exprimendi, sequimur. Magni tamen momenti est, hanc quoque elaborare. Retinendo signo art. 4, insuper statuemus

$$\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}x}{\mathrm{d}p^2} = \alpha, \quad \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}x}{\mathrm{d}p\,.\,\mathrm{d}q} = \alpha', \quad \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}x}{\mathrm{d}q^2} = \alpha''$$
$$\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}y}{\mathrm{d}p^2} = \beta, \quad \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}y}{\mathrm{d}p\,.\,\mathrm{d}q} = \beta', \quad \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}y}{\mathrm{d}q^2} = \beta''$$
$$\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}z}{\mathrm{d}p^2} = \gamma, \quad \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}z}{\mathrm{d}p\,.\,\mathrm{d}q} = \gamma', \quad \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}z}{\mathrm{d}q^2} = \gamma''$$

Praeterea brevitatis caussa faciemus

$$bc' - cb' = A$$
$$ca' - ac' = B$$
$$ab' - ba' = C$$

Primo observamus, haberi $A\mathrm{d}x + B\mathrm{d}y + C\mathrm{d}z = 0$, sive $\mathrm{d}z = -\frac{A}{C}\mathrm{d}x - \frac{B}{C}\mathrm{d}y$; quatenus itaque z spectatur tamquam functio ipsarum x, y, fit

$$\frac{\mathrm{d}z}{\mathrm{d}x} = t = -\frac{A}{C}$$
$$\frac{\mathrm{d}z}{\mathrm{d}y} = u = -\frac{B}{C}$$

Porro deducimus, ex $\mathrm{d}x = a\mathrm{d}p = a'\mathrm{d}q$, $\mathrm{d}y = b\mathrm{d}p + b'\mathrm{d}q$,

$$C\mathrm{d}p = \quad b'\mathrm{d}x - a'\mathrm{d}y$$
$$C\mathrm{d}q = -b\mathrm{d}x + a\mathrm{d}y$$

Hinc obtinemus differentialia completa ipsarum t, u

$$C^3\mathrm{d}t = (A\tfrac{\mathrm{d}C}{\mathrm{d}p} - C\tfrac{\mathrm{d}A}{\mathrm{d}p})(b'\mathrm{d}x - a'\mathrm{d}y) + (C\tfrac{\mathrm{d}A}{\mathrm{d}q} - A\tfrac{\mathrm{d}C}{\mathrm{d}q})(b\mathrm{d}x - a\mathrm{d}y)$$
$$C^3\mathrm{d}u = (B\tfrac{\mathrm{d}C}{\mathrm{d}p} - C\tfrac{\mathrm{d}B}{\mathrm{d}p})(b'\mathrm{d}x - a'\mathrm{d}y) + (C\tfrac{\mathrm{d}B}{\mathrm{d}q} - B\tfrac{\mathrm{d}C}{\mathrm{d}q})(b\mathrm{d}x - a\mathrm{d}y)$$

Iam si in his formulis substituimus

$$\frac{\mathrm{d}A}{\mathrm{d}p} = c'\beta + b\gamma' - c\beta' - b'\gamma$$
$$\frac{\mathrm{d}A}{\mathrm{d}q} = c'\beta' + b\gamma'' - c\beta'' - b'\gamma'$$
$$\frac{\mathrm{d}B}{\mathrm{d}p} = a'\gamma + c\alpha' - a\gamma' - c'\alpha$$
$$\frac{\mathrm{d}B}{\mathrm{d}q} = a'\gamma' + c\alpha'' - a\gamma'' - c'\alpha'$$
$$\frac{\mathrm{d}C}{\mathrm{d}p} = b'\alpha + a\beta' - b\alpha' - a'\beta$$
$$\frac{\mathrm{d}C}{\mathrm{d}q} = b'\alpha' + a\beta'' - b\alpha'' - a'\beta'$$

atque perpendimus, valores differentialium dt, du sic prodeuntium, aequales esse debere, independenter a differentialibus dx, dy, quantitatibus $Tdx+Udy$, $Udx+Vdy$ resp. inveniemus, post quasdam transformationes satis obvias:

$$\begin{aligned}
C^3T = {} & \alpha Ab'b' + 6\,B b'b' + \gamma C b'b' \\
& - 2\alpha' Ab'b' - 2\,6' Bb'b' - 2\gamma' Cb'b' \\
& + \alpha'' Abb + 6'' Bbb + \gamma'' Cbb \\
C^3U = {} & - \alpha Aa'b' - 6\,Ba'b' - \gamma Ca'b' \\
& + \alpha' A(ab' + ba') + 6'B(ab' + ba') + \gamma' C(ab' + ba') \\
& - \alpha'' Aab - 6'' Bab - \gamma'' Cab \\
C^3V = {} & \alpha Aa'a' + 6\,Ba'a' + \gamma Ca'a' \\
& - 2\alpha' Aaa' - 2\,6' Baa' - 2\gamma' Caa' \\
& + \alpha'' Aaa + 6'' Baa + \gamma'' Caa
\end{aligned}$$

Si itaque brevitatis caussa statuimus

$$\begin{aligned}
A\alpha + B6 + C\gamma &= D \quad \ldots\ldots\ldots\ldots (1) \\
A\alpha' + B6' + C\gamma' &= D' \quad \ldots\ldots\ldots\ldots (2) \\
A\alpha'' + B6'' + C\gamma'' &= D'' \quad \ldots\ldots\ldots\ldots (3)
\end{aligned}$$

fit

$$\begin{aligned}
C^3T &= Db'b' - 2D'bb' + D''bb \\
C^3U &= -Da'b' + D'(ab' + ba') - D''ab \\
C^3V &= Da'a' - 2D'aa' + D''aa
\end{aligned}$$

Hinc invenimus, evolutione facta,

$$C^6(TV - UU) = (DD'' - D'D')(ab' - ba')^2 = (DD'' - D'D')CC$$

et proin formulam pro mensura curvaturae

$$k = \frac{DD'' - D'D'}{(AA + BB + CC)^2}$$

11.

Formulae modo inventae iam aliam superstruemus, quae inter fertilissima theoremata in doctrina de superficiebus curvis referenda est. Introducamus sequentes notationes:

$$\begin{aligned}
aa + bb + cc &= E \\
aa' + bb' + cc' &= F \\
a'a' + b'b' + c'c' &= G \\
a\alpha + b6 + c\gamma &= m \quad \ldots\ldots\ldots\ldots (4) \\
a\alpha' + b6' + c\gamma' &= m' \quad \ldots\ldots\ldots\ldots (5) \\
a\alpha'' + b6'' + c\gamma'' &= m'' \quad \ldots\ldots\ldots\ldots (6) \\
a'\alpha + b'6 + c'\gamma &= n \quad \ldots\ldots\ldots\ldots (7) \\
a'\alpha' + b'6' + c'\gamma' &= n' \quad \ldots\ldots\ldots\ldots (8) \\
a'\alpha'' + b'6'' + c'\gamma'' &= n'' \quad \ldots\ldots\ldots\ldots (9) \\
AA + BB + CC &= EG - FF = \Delta
\end{aligned}$$

Eliminemus ex aequationibus 1, 4, 7, quantitates 6, γ, quod fit multiplicando illas per $bc' - cb'$, $b'C - c'B$, $cB - bC$, et addendo: ita oritur

$$\begin{aligned}
& (A(bc' - cb') + a(b'C - c'B) + a'(cB - bC))\alpha \\
& = D(bc' - cb') + m(b'C - c'B) + n(cB - bC)
\end{aligned}$$

quam aequationem facile transformamus in hanc:

$$AD = \alpha\Delta + a(nF - mG) + a'(mF - nE)$$

Simili modo eliminatio quantitatum α, γ vel α, 6 ex iisdem aequationibus suppeditat

$$\begin{aligned}
BD &= 6\Delta + b(nF - mG) + b'(mF - nE) \\
CD &= \gamma\Delta + c(nF - mG) + c'(mF - nE)
\end{aligned}$$

Multiplicando has tres aequationes per α'', $6''$, γ'' et addendo obtinemus

$$DD' = (\alpha 6'' + 6 6'' + \gamma\gamma'')\Delta + m''(nF - mG) + n''(mF - nE) \quad \ldots (10)$$

Si perinde tractamus aequationes 2, 5, 8, prodit

$$\begin{aligned}
AD' &= \alpha'\Delta + a(n'F - m'G) + a'(m'F - n'E) \\
BD' &= 6'\Delta + b(n'F - m'G) + b'(m'F - n'E) \\
CD' &= \gamma'\Delta + c(n'F - m'G) + c'(m'F - n'E)
\end{aligned}$$

quibus aequationibus per α', $6'$, γ' multiplicatis, additio suppeditat:

$$D'D' = (\alpha'\alpha' + 6'6' + \gamma'\gamma')\Delta + m'(n'F - m'G) + n'(m'F - n'E)$$

Combinatio huius aequationis cum aequatione (10) producit

$$DD''-D'D' = (\alpha\alpha''+\beta\beta''+\gamma\gamma''-\alpha'\alpha'-\beta'\beta'-\gamma'\gamma')\Delta + E(n'n'-nn'')+F(nm''-2m'n'+mn'')+G(m'm'-mm'')$$

Iam patet esse

$$\frac{dE}{dp}=2m,\quad \frac{dE}{dq}=2m',\quad \frac{dF}{dp}=m'+n,\quad \frac{dF}{dq}=m''+n',\quad \frac{dG}{dp}=2n',\quad \frac{dG}{dq}=2n''$$

sive

$$m=\tfrac{1}{2}\frac{dE}{dp},\qquad m'=\tfrac{1}{2}\frac{dE}{dq},\qquad m''=\frac{dF}{dq}-\tfrac{1}{2}\frac{dG}{dp}$$
$$n=\frac{dF}{dp}-\tfrac{1}{2}\frac{dE}{dq},\qquad n'=\tfrac{1}{2}\frac{dG}{dp},\qquad n''=\tfrac{1}{2}\frac{dG}{dq}$$

Porro facile confirmatur, haberi

$$\alpha\alpha''+\beta\beta''+\gamma\gamma''-\alpha'\alpha'-\beta'\beta'-\gamma'\gamma' = \frac{dn}{dq}-\frac{dn'}{dp}=\frac{dm''}{dp}-\frac{dm'}{dq} = -\tfrac{1}{2}\cdot\frac{ddE}{dq^2}+\frac{ddF}{dp\,.\,dq}-\tfrac{1}{2}\cdot\frac{ddG}{dp^2}$$

Quodsi iam has expressiones diversas in formula pro mensura curvaturae in fine art. praec. eruta substituimus, pervenimus ad formulam sequentem, e solis quantitatibus E, F, G atque earum quotientibus differentialibus primi et secundi ordinis concinnatam:

$$\begin{aligned}4(EG-FF)^2k = {} & E\left(\frac{dE}{dq}\cdot\frac{dG}{dq}-2\frac{dF}{dp}\cdot\frac{dG}{dq}+\left(\frac{dG}{dp}\right)^2\right)\\ & +F\left(\frac{dE}{dp}\cdot\frac{dG}{dq}-\frac{dE}{dq}\cdot\frac{dG}{dp}-2\frac{dE}{dq}\cdot\frac{dF}{dq}+4\frac{dF}{dp}\cdot\frac{dF}{dq}-2\frac{dF}{dp}\cdot\frac{dG}{dp}\right)\\ & +G\left(\frac{dE}{dp}\cdot\frac{dG}{dp}-2\frac{dE}{dp}\cdot\frac{dF}{dq}+\left(\frac{dE}{dq}\right)^2\right)\\ & -2(EG-FF)\left(\frac{ddE}{dq^2}-2\frac{ddF}{dp\,.\,dq}+\frac{ddG}{dp^2}\right)\end{aligned}$$

12.

Quum indefinite habeatur

$$dx^2+dy^2+dz^2 = Edp^2+2Fdp\,.\,dq+Gdq^2$$

patet, $\sqrt{(Edp^2+2Fdp\,.\,dq+Gdq^2)}$ esse expressionem generalem elementi linearis in superficie curva. Docet itaque analysis in art. praec. explicata, ad inveniendam mensuram curvaturae haud opus esse formulis finitis, quae coordinatas x, y, z tamquam functiones indeterminatarum p, q exhibeant, sed sufficere expressionem generalem pro magnitudine cuiusvis elementi linearis. Progrediamur ad aliquot applicationes huius gravissimi theorematis.

Supponamus, superficiem nostram curvam explicari posse in aliam superficiem, curvam seu planam, ita ut cuivis puncto prioris superficiei per coordinatas x, y, z determinato respondeat punctum determinatum superficiei posterioris, cuius coordinatae sint x', y', z'. Manifesto itaque x', y', z' quoque considerari possunt tamquam functiones indeterminatarum p, q, unde pro elemento $\sqrt{(dx'^2+dy'^2+dz'^2)}$ prodibit expressio talis

$$\sqrt{(E'dp^2+2F'dp\,.\,dq+G'dq^2)}$$

denotantibus etiam E', F', G' functiones ipsarum p, q. At per ipsam notionem *explicationis* superficiei in superficiem patet, elementa in utraque superficie correspondentia necessario aequalia esse, adeoque identice fieri

$$E=E',\quad F=F',\quad G=G'.$$

Formula itaque art. praec. sponte perducit ad egregium

THEOREMA. *Si superficies curva in quamcunque aliam superficiem explicatur, mensura curvaturae in singulis punctis invariata manet.*

Manifesto quoque *quaevis pars finita superficiei curvae post explicationem in aliam superficiem eandem curvaturam integram retinebit.*

Casum specialem, ad quem geometrae hactenus investigationes suas restrinxerunt, sistunt superficies in planum explicabiles. Theoria nostra sponte docet, talium superficierum mensuram curvaturae in quovis puncto fieri $= 0$, quocirca, si earum indoles secundum modum tertium exprimitur, ubique erit

$$\frac{ddz}{dx^2}\cdot\frac{ddz}{dy^2}-\left(\frac{ddz}{dx\,.\,dy}\right)^2 = 0$$

quod criterium, dudum quidem notum, plerumque nostro saltem iudicio haud eo rigore qui desiderari posset demonstratur.

13.

Quae in art. praec. exposuimus, cohaerent cum modo peculiari superficies considerandi, summopere digno, qui a geometris diligenter excolatur. Scilicet quatenus superficies consideratur non tamquam limes solidi, sed tamquam soli-

dum, cuius dimensio una pro evanescente habetur, flexile quidem, sed non extensibile, qualitates superficiei partim a forma dependent, in quam illa reducta concipitur, partim absolutae sunt, atque invariatae manent, in quamcunque formam illa flectatur. Ad has posteriores, quarum investigatio campum geometriae novum fertilemque aperit, referendae sunt mensura curvaturae atque curvatura integra eo sensu, quo hae expressiones a nobis accipiuntur; porro huc pertinet doctrina de lineis brevissimis, pluraque alia, de quibus in posterum agere nobis reservamus. In hoc considerationis modo superficies plana atque superficies in planum explicabilis, e. g. cylindrica, conica etc. tamquam essentialiter identicae spectantur, modusque genuinus indolem superficiei ita consideratae generaliter exprimendi semper innititur formulae $\sqrt{(E\mathrm{d}p^2+2F\mathrm{d}p.\mathrm{d}q+G\mathrm{d}q^2)}$, quae nexum elementi cum duabus indeterminatis p, q sistit. Sed antequam hoc argumentum ulterius prosequamur, principia theoriae linearum brevissimarum in superficie curva data praemittere oportet.

14.

Indoles lineae curvae in spatio generaliter ita datur, ut coordinatae x, y, z singulis illius punctis respondentes exhibeatur in forma functionum unius variabilis, quam per w denotabimus. Longitudo talis lineae a puncto [illegible] arbitrario usque ad punctum, cuius coordinatae sunt x, y, z, exprimitur per integrale

$$\int \mathrm{d}w.\sqrt{\left(\left(\frac{\mathrm{d}x}{\mathrm{d}w}\right)^2+\left(\frac{\mathrm{d}y}{\mathrm{d}w}\right)^2+\left(\frac{\mathrm{d}z}{\mathrm{d}w}\right)^2\right)}$$

Si supponimus, situm lineae curvae variationem infinite parvam pati, ita ut coordinatae singulorum punctorum accipiant variationes $\delta x, \delta y, \delta z$, variatio totius longitudinis invenitur

$$= \int \frac{\mathrm{d}x.\mathrm{d}\delta x+\mathrm{d}y.\mathrm{d}\delta y+\mathrm{d}z.\mathrm{d}\delta z}{\sqrt{(\mathrm{d}x^2+\mathrm{d}y^2+\mathrm{d}z^2)}}$$

quam expressionem in hanc formam transmutamus:

$$\frac{\mathrm{d}x.\delta x+\mathrm{d}y.\delta y+\mathrm{d}z.\delta z}{\sqrt{(\mathrm{d}x^2+\mathrm{d}y^2+\mathrm{d}z^2)}} - \int\left(\delta x.\mathrm{d}\frac{\mathrm{d}x}{\sqrt{(\mathrm{d}x^2+\mathrm{d}y^2+\mathrm{d}z^2)}}+\delta y.\mathrm{d}\frac{\mathrm{d}y}{\sqrt{(\mathrm{d}x^2+\mathrm{d}y^2+\mathrm{d}z^2)}}+\delta z.\mathrm{d}\frac{\mathrm{d}z}{\sqrt{(\mathrm{d}x^2+\mathrm{d}y^2+\mathrm{d}z^2)}}\right)$$

In casu eo, ubi linea est brevissima inter puncta sua extrema, constat, ea, quae hic sub signo integrali sunt, evanescere debere. Quatenus linea esse debet in superficie data, cuius indoles exprimitur per aequationem $P\mathrm{d}x+Q\mathrm{d}y+R\mathrm{d}z=0$, etiam variationes $\delta x, \delta y, \delta z$ satisfacere debent aequationi $P\delta x+Q\delta y+R\delta z=0$, unde per principia nota facile colligitur, differentialia

$$\mathrm{d}\frac{\mathrm{d}x}{\sqrt{(\mathrm{d}x^2+\mathrm{d}y^2+\mathrm{d}z^2)}},\quad \mathrm{d}\frac{\mathrm{d}y}{\sqrt{(\mathrm{d}x^2+\mathrm{d}y^2+\mathrm{d}z^2)}},\quad \mathrm{d}\frac{\mathrm{d}z}{\sqrt{(\mathrm{d}x^2+\mathrm{d}y^2+\mathrm{d}z^2)}}$$

resp. quantitatibus P, Q, R proportionalia esse debere. Iam sit $\mathrm{d}r$ elementum lineae curvae, λ punctum in superficie sphaerica repraesentans directionem huius elementi, L punctum in superficie sphaerica repraesentans directionem normalis in superficiem curvam; denique sint ξ, η, ζ coordinatae puncti λ, atque X, Y, Z coordinatae puncti L respectu centri sphaerae. Ita erit

$$\mathrm{d}x=\xi\mathrm{d}r,\quad \mathrm{d}y=\eta\mathrm{d}r,\quad \mathrm{d}z=\zeta\mathrm{d}r$$

unde colligimus, differentialia illa fieri $\mathrm{d}\xi, \mathrm{d}\eta, \mathrm{d}\zeta$. Et quum quantitates P, Q, R proportionales sint ipsis X, Y, Z, character lineae brevissimae consistit in aequationibus

$$\frac{\mathrm{d}\xi}{X}=\frac{\mathrm{d}\eta}{Y}=\frac{\mathrm{d}\zeta}{Z}$$

Ceterum facile perspicitur, $\sqrt{(\mathrm{d}\xi^2+\mathrm{d}\eta^2+\mathrm{d}\zeta^2)}$ aequari arculo in superficie sphaerica, qui mensurat angulum inter directiones tangentium in initio et fine elementi $\mathrm{d}r$, adeoque esse $=\frac{\mathrm{d}r}{\rho}$, si ρ denotet radium curvaturae in hoc loco curvae brevissimae; ita fiet

$$\rho\mathrm{d}\xi=X\mathrm{d}r,\quad \rho\mathrm{d}\eta=Y\mathrm{d}r,\quad \rho\mathrm{d}\zeta=Z\mathrm{d}r$$

15.

Supponamus, in superficie curva a puncto dato A proficisci innumeras curvas brevissimas, quas inter se distinguemus per angulum, quem constituit singularum elementum primum cum elemento primo unius ex his lineis pro prima assumtae: sit φ ille angulus, vel generalius functio illius anguli, nec non r longitudo talis lineae brevissimae a puncto A usque ad punctum, cuius coordinatae sunt x, y, z. Quum itaque valoribus determinatis variabilium r, φ respondeant puncta determinata superficiei, coordinatae x, y, z considerari possunt tamquam functiones ipsarum r, φ. Notationes $\lambda, L, \xi, \eta, \zeta, X, Y, Z$ in eadem significa-

tione retinebimus, in qua in art. praec. acceptae fuerunt. modo indefinite ad punctum indefinitum cuiuslibet linearum brevissimarum referantur.

Lineae brevissimae omnes, quae sunt aequalis longitudinis r, terminabuntur ad aliam lineam, cuius longitudinem ab initio arbitrario numeratam denotamus per v. Considerari poterit itaque v tamquam functio indeterminatarum r, φ, et si per λ' designamus punctum in superficie sphaerica respondens directioni elementi dv, nec non per ξ', η', ζ' coordinatas huius puncti respectu centri sphaerae, habebimus:

$$\frac{dx}{d\varphi} = \xi' \cdot \frac{dv}{d\varphi}, \quad \frac{dy}{d\varphi} = \eta' \cdot \frac{dv}{d\varphi}, \quad \frac{dz}{d\varphi} = \zeta' \cdot \frac{dv}{d\varphi}$$

Hinc et ex

$$\frac{dx}{dr} = \xi, \quad \frac{dy}{dr} = \eta, \quad \frac{dz}{dr} = \zeta$$

sequitur

$$\frac{dx}{dr} \cdot \frac{dx}{d\varphi} + \frac{dy}{dr} \cdot \frac{dy}{d\varphi} + \frac{dz}{dr} \cdot \frac{dz}{d\varphi} = (\xi\xi' + \eta\eta' + \zeta\zeta') \cdot \frac{dv}{d\varphi} = \cos\lambda\lambda' \cdot \frac{dv}{d\varphi}$$

Membrum primum huius aequationis, quod etiam erit functio ipsarum r, φ, per S denotamus; cuius differentiatio secundum r suppeditat:

$$\frac{dS}{dr} = \frac{ddx}{dr^2} \cdot \frac{dx}{d\varphi} + \frac{ddy}{dr^2} \cdot \frac{dy}{d\varphi} + \frac{ddz}{dr^2} \cdot \frac{dz}{d\varphi} + \tfrac{1}{2} \cdot \frac{d\left(\left(\frac{dx}{dr}\right)^2 + \left(\frac{dy}{dr}\right)^2 + \left(\frac{dz}{dr}\right)^2\right)}{d\varphi}$$
$$= \frac{d\xi}{dr} \cdot \frac{dx}{d\varphi} + \frac{d\eta}{dr} \cdot \frac{dy}{d\varphi} + \frac{d\zeta}{dr} \cdot \frac{dz}{d\varphi} + \tfrac{1}{2} \cdot \frac{d(\xi\xi + \eta\eta + \zeta\zeta)}{d\varphi}$$

Sed $\xi\xi + \eta\eta + \zeta\zeta = 1$, adeoque ipsius differentiale $= 0$; et per art. praec. habemus, si etiam hic ρ denotat radium curvaturae in linea r,

$$\frac{d\xi}{dr} = \frac{X}{\rho}, \quad \frac{d\eta}{dr} = \frac{Y}{\rho}, \quad \frac{d\zeta}{dr} = \frac{Z}{\rho}$$

Ita obtinemus

$$\frac{dS}{dr} = \frac{1}{\rho} \cdot (X\xi' + Y\eta' + Z\zeta') \cdot \frac{dv}{d\varphi} = \frac{1}{\rho} \cdot \cos L\lambda' \cdot \frac{dv}{d\varphi} = 0$$

quoniam manifesto λ' iacet in circulo maximo, cuius polus L. Hinc itaque concludimus, S independentem esse ab r et proin functionem solius φ. At pro $r = 0$ manifesto fit $v = 0$, et proin etiam $\frac{dv}{d\varphi} = 0$, nec non $S = 0$, independenter a φ. Necessario itaque generaliter esse debebit $S = 0$, adeoque $\cos\lambda\lambda' = 0$, i. e. $\lambda\lambda' = 90^0$. Hinc colligimus

THEOREMA. *Ductis in superficie curva ab eodem puncto initiali innumeris lineis brevissimis aequalis longitudinis, linea earum extremitates iungens ad illas singulas erit normalis.*

Operae pretium esse duximus, hoc theorema e proprietate fundamentali linearum brevissimarum deducere: ceterum eius veritas etiam absque calculo per sequens ratiocinium intelligi potest. Sint AB, AB' duae lineae brevissimae eiusdem longitudinis, angulum infinite parvum ad A includentes, supponamusque, alterutrum angulorum elementi BB' cum lineis $BA, B'A$ differre quantitate finita ab angulo recto, unde per legem continuitatis alter maior alter minor erit angulo recto. Supponamus, angulum ad B esse $= 90^0 - \omega$, capiamusque in linea BA punctum C, ita ut sit $BC = BB' \cdot \operatorname{cosec}\omega$: hinc quum triangulum infinite parvum $BB'C$ tamquam planum tractare liceat, erit $CB' = BC \cdot \cos\omega$, et proin

$$AC + CB' = AC + BC \cdot \cos\omega = AB - BC \cdot (1 - \cos\omega) = AB' - BC(1 - \cos\omega)$$

i. e. transitus a puncto A ad B' per punctum C brevior linea brevissima. Q. E. A.

16.

Theoremati art. pracc. associamus aliud, quod ita enunciamus. *Si in superficie curva concipitur linea qualiscunque, a cuius punctis singulis proficiscantur sub angulis rectis et versus eandem plagam innumerae lineae brevissimae aequalis longitudinis, curva, quae earum extremitates alteras iungit, illas singulas sub angulis rectis secabit.* Ad demonstrationem nihil in analysi praecedente mutandum est, nisi quod φ designare debet longitudinem curvae *datae* inde a puncto arbitrario numeratam, aut si mavis functionem huius longitudinis; ita omnia ratiocinia etiamnum valebunt, ea modificatione, quod veritas aequationis $S = 0$ pro $r = 0$ nunc iam in ipsa hypothesi implicatur. Ceterum hoc alterum theorema generalius est praecedente, quod adeo in illo comprehendi censeri potest, dum pro linea data adoptamus circulum infinite parvum circa centrum A descriptum. Denique monemus, hic quoque considerationes geometricas analyseos vice fungi posse, quibus tamen, quum satis obviae sint, hic non immoramur.

17.

Revertimur ad formulam $\sqrt{(E\mathrm{d}p^2 + 2F\mathrm{d}p.\mathrm{d}q + G\mathrm{d}q^2)}$, quae indefinite

magnitudinem elementi linearis in superficie curva exprimit, atque ante omnia significationem geometricam coëfficientium E, F, G examinamus. Iam in art. 5 monuimus, in superficie curva concipi posse duo systemata linearum, alterum, in quibus singulis sola p sit variabilis, q constans; alterum, in quibus sola q variabilis, p constans. Quodlibet punctum superficiei considerari potest tamquam intersectio lineae primi systematis cum linea secundi: tuncque elementum lineae primae huic puncto adiacens et variationi $\mathrm{d}p$ respondens erit $= \sqrt{E}.\mathrm{d}p$, nec non elementum lineae secundae respondens variationi $\mathrm{d}q$ erit $= \sqrt{G}.\mathrm{d}q$; denique denotando per ω angulum inter haec elementa, facile perspicitur, fieri $\cos\omega = \frac{F}{\sqrt{EG}}$. Area autem elementi parallelogrammatici in superficie curva inter duas lineas primi systematis, quibus respondent q, $q+\mathrm{d}q$, atque duas lineas systematis secundi, quibus respondent p, $p+\mathrm{d}p$, erit $\sqrt{(EG-FF)}\mathrm{d}p.\mathrm{d}q$.

Lineae quaecunque in superficie curva ad neutrum illorum systematum pertinens, oritur, dum p et q concipiuntur esse functiones unius variabilis novae, vel altera illarum functio alterius. Sit s longitudo talis curvae ab initio arbitrario numerata et versus directionem utramvis pro positiva habita. Denotemus per θ angulum, quem efficit elementum $\mathrm{d}s = \sqrt{(E\mathrm{d}p^2+2F\mathrm{d}p.\mathrm{d}q+G\mathrm{d}q^2)}$ cum linea primi systematis per initium elementi ducta, et quidem ne ulla ambiguitas remaneat, hunc angulum semper ab eo ramo illius lineae, in quo valores ipsius p crescunt, inchoari, et versus eam plagam positive accipi supponemus, versus quam valores ipsius q crescunt. His ita intellectis facile perspicitur haberi

$$\cos\theta.\mathrm{d}s = \sqrt{E}.\mathrm{d}p+\sqrt{G}.\cos\omega.\mathrm{d}q = \frac{E\mathrm{d}p+F\mathrm{d}q}{\sqrt{E}}$$
$$\sin\theta.\mathrm{d}s = \sqrt{G}.\sin\omega.\mathrm{d}q = \frac{\sqrt{(EG-FF)}.\mathrm{d}q}{\sqrt{E}}$$

18.

Investigabimus nunc, quaenam sit conditio, ut haec linea sit brevissima. Quum ipsius longitudo s expressa sit per integrale

$$s = \int\sqrt{(E\mathrm{d}p^2+2F\mathrm{d}p.\mathrm{d}q+G\mathrm{d}q^2)}$$

conditio minimi requirit, ut variatio huius integralis a mutatione infinite parva tractus lineae oriunda fiat $= 0$. Calculus ad propositum nostrum in hoc casu commodius absolvitur, si p tamquam functionem ipsius q consideramus. Quo

pacto, si variatio per characteristicam δ denotatur, habemus

$$\delta s = \int\frac{(\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}p^2+\frac{2\mathrm{d}F}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}p.\mathrm{d}q+\frac{\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}q^2)\delta p+(2E\mathrm{d}p+2F\mathrm{d}q)\mathrm{d}\delta p}{2\,\mathrm{d}s}$$
$$= \frac{E\mathrm{d}p+F\mathrm{d}q}{\mathrm{d}s}.\delta p+\int\delta p.\{\frac{\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}p^2+\frac{2\mathrm{d}F}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}p.\mathrm{d}q+\frac{\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}q^2}{2\,\mathrm{d}s}-\mathrm{d}.\frac{E\mathrm{d}p+F\mathrm{d}q}{\mathrm{d}s}\}$$

constatque, quae hic sunt sub signo integrali, independenter a δp evanescere debere. Fit itaque

$$\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}p^2+\frac{2\mathrm{d}F}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}p.\mathrm{d}q+\frac{\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}q^2 = 2\,\mathrm{d}s.\mathrm{d}.\frac{E\mathrm{d}p+F\mathrm{d}q}{\mathrm{d}s}$$
$$= 2\,\mathrm{d}s.\mathrm{d}.\sqrt{E}.\cos\theta = \frac{\mathrm{d}s.\mathrm{d}E.\cos\theta}{\sqrt{E}}-2\,\mathrm{d}s.\mathrm{d}\theta.\sqrt{E}.\sin\theta$$
$$= \frac{(E\mathrm{d}p+F\mathrm{d}q)\mathrm{d}E}{E}-\sqrt{(EG-FF)}.\mathrm{d}q.\mathrm{d}\theta$$
$$= (\frac{E\mathrm{d}p+F\mathrm{d}q}{E}).(\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}p+\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}q}.\mathrm{d}q)-2\sqrt{(EG-FF)}.\mathrm{d}q.\mathrm{d}\theta$$

Hinc itaque nanciscimur aequationem conditionalem pro linea brevissima sequentem:

$$\sqrt{(EG-FF)}.\mathrm{d}\theta = \tfrac{1}{2}\frac{F}{E}.\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}p+\tfrac{1}{2}.\frac{F}{E}.\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}q}.\mathrm{d}q+\tfrac{1}{2}.\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}q}.\mathrm{d}p-\frac{\mathrm{d}F}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}p-\tfrac{1}{2}.\frac{\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}q$$

quam etiam ita scribere licet

$$\sqrt{(EG-FF)}.\mathrm{d}\theta = \tfrac{1}{2}\frac{F}{E}.\mathrm{d}E+\tfrac{1}{2}.\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}q}.\mathrm{d}p-\frac{\mathrm{d}F}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}p-\tfrac{1}{2}.\frac{\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}q$$

Ceterum adiumento aequationis

$$\mathrm{cotg}\,\theta = \frac{E}{\sqrt{(EG-FF)}}.\frac{\mathrm{d}p}{\mathrm{d}q}+\frac{F}{\sqrt{(EG-FF)}}$$

ex illa aequatione angulus θ eliminari, atque sic aequatio differentio-differentialis inter p et q evolvi potest, quae tamen magis complicata et ad applicationes minus utilis evaderet, quam praecedens.

19.

Formulae generales, quas pro mensura curvaturae et pro variatione directionis lineae brevissimae in artt. 11. 18 eruimus, multo simpliciores fiunt, si quantitates p, q ita sunt electae, ut lineae primi systematis lineas secundi systematis ubique orthogonaliter secent, i. e. ut generaliter habeatur $\omega = 90^0$, sive $F = 0$. Tunc scilicet fit, pro mensura curvaturae,

$$4EEGGk = E.\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}q}.\frac{\mathrm{d}G}{\mathrm{d}q} + E(\frac{\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p})^2 + G.\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}p}.\frac{\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p} + G(\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}q})^2 - 2EG(\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}E}{\mathrm{d}q^2} + \frac{\mathrm{d}\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p^2})$$

et pro variatione anguli ϑ

$$\sqrt{EG}.\mathrm{d}\vartheta = \tfrac{1}{2}.\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}q}.\mathrm{d}p - \tfrac{1}{2}.\frac{\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}q$$

Inter varios casus, in quibus haec conditio orthogonalitatis valet, primarium locum tenet is, ubi lineae omnes alterutrius systematis, e. g. primi, sunt lineae brevissimae. Hic itaque pro valore constante ipsius q, angulus ϑ fit $= 0$, unde aequatio pro variatione anguli ϑ modo tradita docet, fieri debere $\frac{\mathrm{d}E}{\mathrm{d}q} = 0$, sive coëfficientem E a q independentem, i. e. E esse debet vel constans vel functio solius p. Simplicissimum erit, pro p adoptare longitudinem ipsam cuiusque lineae primi systematis, et quidem, quoties omnes lineae primi systematis in uno puncto concurrunt, ab hoc puncto numeratam, vel, si communis intersectio non adest, a qualibet linea secundi systematis. Quibus ita intellectis patet, p et q iam eadem denotare, quae in artt. 15, 16 per r et φ expresseramus, atque fieri $E = 1$. Ita duae formulae praecedentes iam transeunt in has:

$$4GGk = (\frac{\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p})^2 - 2G\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p^2}$$

$$\sqrt{G}.\mathrm{d}\vartheta = -\tfrac{1}{2}.\frac{\mathrm{d}G}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}q$$

vel statuendo $\sqrt{G} = m$,

$$k = -\tfrac{1}{m}.\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}m}{\mathrm{d}p^2}, \qquad \mathrm{d}\vartheta = -\frac{\mathrm{d}m}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}q$$

Generaliter loquendo m erit functio ipsarum p, q atque $m\mathrm{d}q$ expressio elementi cuiusvis lineae secundi systematis. In casu speciali autem, ubi omnes lineae p ab eodem puncto proficiscuntur, manifesto pro $p = 0$ esse debet $m = 0$; porro si in hoc casu pro q adoptamus angulum ipsum, quem elementum primum cuiusvis lineae primi systematis facit cum elemento alicuius ex ipsis ad arbitrium electae, quum pro valore infinite parvo ipsius p, elementum lineae secundi systematis (quae considerari potest tamquam circulus radio p descriptus), sit $= p\mathrm{d}q$, erit pro valore infinite parvo ipsius p, $m = p$, adeoque, pro $p = 0$ simul $m = 0$ et $\frac{\mathrm{d}m}{\mathrm{d}p} = 1$.

20.

Immoremur adhuc eidem suppositioni, puta p designare indefinite longitudinem lineae brevissimae a puncto determinato A ad punctum quodlibet superficiei ductum, atque q angulum, quem primum elementum huius lineae efficit cum elemento primo alicuius lineae brevissimae ex A proficiscentis datae. Sit B punctum determinatum in hac linea pro qua $q = 0$, atque C aliud punctum determinatum superficiei, pro quo valorem ipsius q simpliciter per A designabimus. Supponamus, puncta B, C per lineam brevissimam iuncta, cuius partes, inde a puncto B numeratas, indefinite ut in art. 18 per s denotabimus, nec non perinde ut illic, per ϑ angulum, quem quodvis elementum $\mathrm{d}s$ facit cum elemento $\mathrm{d}p$: denique sint ϑ^0, ϑ' valores anguli ϑ in punctis B, C. Habemus itaque in superficie curva triangulum lineis brevissimis inclusum, eiusque anguli ad B et C, per has ipsas literas simpliciter designandi aequales erunt ille complemento anguli ϑ^0 ad 180^0; hic ipsi angulo ϑ'. Sed quum analysin nostram inspicienti facile pateat, omnes angulos non per gradus sed per numeros expressos concipi, ita ut angulus $57^0\,17'\,45''$, cui respondet arcus radio aequalis, pro unitate habeatur, statuere oportet, denotando per 2π peripheriam circuli

$$\vartheta^0 = \pi - B, \qquad \vartheta' = C$$

Inquiramus nunc in curvaturam integram huius trianguli, quae fit $= \int k\mathrm{d}\sigma$, denotante $\mathrm{d}\sigma$ elementum superficiale trianguli; quare quum hoc elementum exprimatur per $m\mathrm{d}p.\mathrm{d}q$, eruere oportet integrale $\iint km\mathrm{d}p.\mathrm{d}q$ supra totam trianguli superficiem. Incipiamus ab integratione secundum p, quae propter $k = -\frac{1}{m}.\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}m}{\mathrm{d}p^2}$, suppeditat $\mathrm{d}q.(\mathrm{Const.} - \frac{\mathrm{d}m}{\mathrm{d}p})$ pro curvatura integra areae iacentis inter lineas primi systematis, quibus respondent valores indeterminatae secundae q, $q + \mathrm{d}q$: quum haec curvatura pro $p = 0$ evanescere debeat, quantitas constans per integrationem introducta aequalis esse debet valori ipsius $\frac{\mathrm{d}m}{\mathrm{d}p}$ pro $p = 0$, i. e. unitati. Habemus itaque $\mathrm{d}q(1 - \frac{\mathrm{d}m}{\mathrm{d}p})$, ubi pro $\frac{\mathrm{d}m}{\mathrm{d}p}$ accipere oportet valorem respondentem fini illius areae in linea CB. In hac linea vero fit per art. praec. $\frac{\mathrm{d}m}{\mathrm{d}p}.\mathrm{d}q = -\mathrm{d}\vartheta$, unde expressio nostra mutatur in $\mathrm{d}q + \mathrm{d}\vartheta$. Accedente iam integratione altera a $q = 0$ usque ad $q = A$ extendenda, obtinemus curvaturam integram trianguli $= A + \vartheta' - \vartheta^0 = A + B + C - \pi$.

Curvatura integra aequalis est areae eius partis superficiei sphaericae, quae respondet triangulo, signo positivo vel negativo affectae, prout superficies curva, in qua triangulum iacet, est concavo-concava vel concavo-convexa: pro unitate areae accipiendum est quadratum, cuius latus est unitas (radius sphaerae), quo pacto superficies tota sphaerae fit $= 4\pi$. Est itaque pars superficiei sphaericae

triangulo respondens ad sphaerae superficiem integram ut $\pm(A+B+C-\pi)$ ad 4π. Hoc theorema, quod ni fallimur ad elegantissima in theoria superficierum curvarum referendum esse videtur, etiam sequenti modo enuntiari potest:

Excessus summae angulorum trianguli a lineis brevissimis in superficie curva concavo-concava formati ultra 180^0, *vel defectus summae angulorum trianguli a lineis brevissimis in superficie curva concavo-convexa formati a* 180^0 *mensuratur per aream partis superficiei sphaericae, quae illi triangulo per directiones normalium respondet, si superficies integra* 720 *gradibus aequiparatur.*

Generalius in quovis polygono n laterum, quae singula formantur per lineas brevissimas, excessus summae angulorum supra $2n-4$ rectos, vel defectus a $2n-4$ rectis (pro indole curvaturae superficiei), aequatur areae polygoni respondentis in superficie sphaerica, dum tota superficies sphaerae 720 gradibus aequiparatur, uti per discerptionem polygoni in triangula e theoremate praecedenti sponte demanat.

21.

Restituamus characteribus p, q, E, F, G, ω significationes generales, quibus supra accepti fuerant, supponamusque, indolem superficiei curvae praeterea alio simili modo per duas alias variabiles p', q' determinari, ubi elementum lineare indefinitum exprimatur per

$$\sqrt{(E'\mathrm{d}p'^2+2F'\mathrm{d}p'.\mathrm{d}q'+G'\mathrm{d}q'^2)}$$

Ita cuivis puncto superficiei per valores determinatos variabilium p, q definito respondebunt valores determinati variabilium p', q', quocirca hae erunt functiones ipsarum p, q, e quarum differentiatione prodire supponemus

$$\mathrm{d}p' = \alpha\mathrm{d}p+\mathfrak{b}\mathrm{d}q$$
$$\mathrm{d}q' = \gamma\mathrm{d}p+\delta\mathrm{d}q$$

Iam proponimus nobis investigare significationem geometricam horum coëfficientium $\alpha, \mathfrak{b}, \gamma, \delta$.

Quatuor itaque nunc systemata linearum in superficie curva concipi possunt, pro quibus resp. q, p, q', p' sint constantes. Si per punctum determinatum, cui respondent variabilium valores p, q, p', q', quatuor lineas ad singula illa systemata pertinentes ductas supponimus, harum elementa, variationibus positivis

$\mathrm{d}p, \mathrm{d}q, \mathrm{d}p', \mathrm{d}q'$, respondentes erunt

$$\sqrt{E}.\mathrm{d}p, \quad \sqrt{G}.\mathrm{d}q, \quad \sqrt{E'}.\mathrm{d}q', \quad \sqrt{G'}.\mathrm{d}q'$$

Angulos, quos horum elementorum directiones faciunt cum directione fixa arbitraria, denotabimus per M, N, M', N', numerando eo sensu, quo iacet secunda respectu primae, ita ut $\sin(N-M)$ fiat quantitas positiva: eodem sensu iacere supponemus (quod licet) quartam respectu tertiae, ita ut etiam $\sin(N'-M')$ sit quantitas positiva. His ita intellectis, si consideramus punctum aliud, a priore infinite parum distans, cui respondeant valores variabilium

$$p+\mathrm{d}p, \quad q+\mathrm{d}q, \quad p'+\mathrm{d}p', \quad q'+\mathrm{d}q'$$

levi attentione adhibita cognoscemus, fieri generaliter, i. e. independenter a valoribus variationum $\mathrm{d}p, \mathrm{d}q, \mathrm{d}p', \mathrm{d}q'$,

$$\sqrt{E}.\mathrm{d}p.\sin M+\sqrt{G}.\mathrm{d}q.\sin N = \sqrt{E'}.\mathrm{d}p'.\sin M'+\sqrt{G'}.\mathrm{d}q'.\sin N'$$

quum utraque expressio nihil aliud sit, nisi distantia puncti novi a linea, a qua anguli directionum incipiunt. Sed habemus, per notationem iam supra introductam $N-M=\omega$, et per analogiam statuemus $N'-M'=\omega'$, nec non insuper $N-M'=\psi$. Ita aequatio modo inventa exhiberi potest in forma sequenti

$$\sqrt{E}.\mathrm{d}p.\sin(M'-\omega+\psi)+\sqrt{G}.\mathrm{d}q.\sin(M'+\psi) = \sqrt{E'}.\mathrm{d}p'.\sin M'+\sqrt{G'}.\mathrm{d}q'.\sin(M'+\omega')$$

vel ita

$$\sqrt{E}.\mathrm{d}p.\sin(N'-\omega-\omega'+\psi)+\sqrt{G}.\mathrm{d}q.\sin(N'-\omega'+\psi) = \sqrt{E'}.\mathrm{d}p'.\sin(N'-\omega')+\sqrt{G'}.\mathrm{d}q'.\sin N'$$

Et quum aequatio manifesto independens esse debeat a directione initiali, hanc ad lubitum accipere licet. Statuendo itaque in forma secunda $N'=0$, vel in prima $M'=0$, obtinemus aequationes sequentes:

$$\sqrt{E'}.\sin\omega'.\mathrm{d}p' = \sqrt{E}.\sin(\omega+\omega'-\psi).\mathrm{d}p+\sqrt{G}.\sin(\omega'-\psi).\mathrm{d}q$$
$$\sqrt{G'}.\sin\omega'.\mathrm{d}q' = \sqrt{E}.\sin(\psi-\omega).\mathrm{d}p+\sqrt{G}.\sin\psi.\mathrm{d}q$$

quae aequationes quum identicae esse debeant cum his

$$\mathrm{d}p' = \alpha\mathrm{d}p+\mathfrak{b}\mathrm{d}q$$
$$\mathrm{d}q' = \gamma\mathrm{d}p+\delta\mathrm{d}q$$

suppeditabunt determinationem coëfficientium α, ϑ, γ, δ. Erit scilicet

$$\alpha = \sqrt{\frac{E}{E'}}\cdot\frac{\sin(\omega+\omega'-\psi)}{\sin\omega'}, \qquad \vartheta = \sqrt{\frac{G}{E'}}\cdot\frac{\sin(\omega'-\psi)}{\sin\omega'}$$
$$\gamma = \sqrt{\frac{E}{G'}}\cdot\frac{\sin(\psi-\omega)}{\sin\omega'}, \qquad \delta = \sqrt{\frac{G}{G'}}\cdot\frac{\sin\psi}{\sin\omega'}$$

Adiungi debent aequationes

$$\cos\omega = \frac{F}{\sqrt{EG}}, \quad \cos\omega' = \frac{F'}{\sqrt{E'G'}}, \quad \sin\omega = \sqrt{\frac{EG-FF}{EG}}, \quad \sin\omega' = \sqrt{\frac{E'G'-F'F'}{E'G'}}$$

unde quatuor aequationes ita quoque exhiberi possunt

$$\alpha\sqrt{(E'G'-F'F')} = \sqrt{EG'}\cdot\sin(\omega+\omega'-\psi)$$
$$\vartheta\sqrt{(E'G'-F'F')} = \sqrt{GG'}\cdot\sin(\omega'-\psi)$$
$$\gamma\sqrt{(E'G'-F'F')} = \sqrt{EE'}\cdot\sin(\psi-\omega)$$
$$\delta\sqrt{(E'G'-F'F')} = \sqrt{GE'}\cdot\sin\psi$$

Quum per substitutiones $\mathrm{d}p' = \alpha\mathrm{d}p+\vartheta\mathrm{d}q$, $\mathrm{d}q' = \gamma\mathrm{d}p+\delta\mathrm{d}q$ trinomium $E'\mathrm{d}p'^2+2F'\mathrm{d}p'.\mathrm{d}q'+G'\mathrm{d}q'^2$ transire debeat in $E\mathrm{d}p^2+2F\mathrm{d}p.\mathrm{d}q+G\mathrm{d}q^2$, facile obtinemus

$$EG-FF = (E'G'-F'F')(\alpha\delta-\vartheta\gamma)^2$$

et quum vice versa trinomium posterius rursus transire debeat in prius per substitutionem

$$(\alpha\delta-\vartheta\gamma)\mathrm{d}p = \delta\mathrm{d}p'-\vartheta\mathrm{d}q', \qquad (\alpha\delta-\vartheta\gamma)\mathrm{d}q = -\gamma\mathrm{d}p'+\alpha\mathrm{d}q'$$

invenimus

$$E\delta\delta-2F\gamma\delta+G\gamma\gamma = \tfrac{EG-FF}{E'G'-F'F'}\cdot E'$$
$$E\vartheta\delta-F(\alpha\delta+\vartheta\gamma)+G\alpha\gamma = -\tfrac{EG-FF}{E'G'-F'F'}\cdot F'$$
$$E\vartheta\vartheta-2F\alpha\vartheta+G\alpha\alpha = \tfrac{EG-FF}{E'G'-F'F'}\cdot G'$$

22.

A disquisitione generali art. praec. descendimus ad applicationem latissime patentem, ubi, dum p et q etiam significatione generalissima accipiuntur, pro p', q', adoptamus quantitates in art. 15 per r, φ denotatas, quibus characteribus

etiam hic utemur, scilicet ut pro quovis puncto superficiei r sit distantia minima a puncto determinato, atque φ angulus in hoc puncto inter elementum primum ipsius r atque directionem fixam. Ita habemus $E' = 1$, $F' = 0$, $\omega' = 90^0$; statuemus insuper $\sqrt{G'} = m$, ita ut elementum lineare quodcunque fiat $= \sqrt{(\mathrm{d}r^2+mm\mathrm{d}\varphi^2)}$. Hinc quatuor aequationes in art. praec. pro α, ϑ, γ, δ, erutae, suppeditant:

$$\sqrt{E}.\cos(\omega-\psi) = \tfrac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}p} \quad \ldots\ldots\ldots (1)$$
$$\sqrt{G}.\cos\psi = \tfrac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}q} \quad \ldots\ldots\ldots (2)$$
$$\sqrt{E}.\sin(\psi-\omega) = m.\tfrac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}p} \quad \ldots\ldots\ldots (3)$$
$$\sqrt{G}.\sin\psi = m.\tfrac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}q} \quad \ldots\ldots\ldots (4)$$

Ultima et penultima vero has

$$EG-FF = E(\tfrac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}q})^2-2F.\tfrac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}p}.\tfrac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}q}+G(\tfrac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}p})^2 \quad \ldots\ldots (5)$$
$$(E.\tfrac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}q}-F.\tfrac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}p}).\tfrac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}q} = (F.\tfrac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}q}-G.\tfrac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}p}).\tfrac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}p} \quad \ldots\ldots (6)$$

Ex his aequationibus petenda est determinatio quantitatum r, φ, ψ et (si opus videtur) m, per p et q: scilicet integratio aequationis (5) dabit r, qua inventa integratio aequationis (6) dabit φ, atque alterutra aequationum (1), (2) ipsam ψ: denique m habebitur per alterutram aequationum (3), (4).

Integratio generalis aequationum (5), (6) necessario duas functiones arbitrarias introducere debet, quae quid sibi velint facile intelligemus, si perpendimus, illas aequationes ad casum eum quem hic consideramus non limitari, sed perinde valere, si r et φ accipiantur in significatione generaliore art. 16, ita ut sit r longitudo lineae brevissimae ad lineam arbitrariam determinatam normaliter ductae, atque φ functio arbitraria longitudinis eius partis lineae, quae inter lineam brevissimam indefinitam et punctum arbitrarium determinatum intercipitur. Solutio itaque generalis haec omnia indefinite amplecti debet, functionesque arbitrariae tunc demum in definitas abibunt, quando linea illa arbitraria atque functio partium, quam φ exhibere debet, praescriptae sunt. In casu nostro circulus infinite parvus adoptari potest, centrum in eo puncto habens, a quo distantiae r numerantur, et φ denotabit partes huius circuli ipsas per radium divisas,

unde facile colligitur, aequationes (5), (6) pro casu nostro complete sufficere, dummodo ea, quae indefinita relinquunt, ei conditioni accommodentur, ut r et φ pro puncto illo initiali atque punctis ab eo infinite parum distantibus quadrent.

Ceterum quod attinet ad integrationem ipsam aequationum (5), (6), constat, eam reduci posse ad integrationem aequationum differentialium vulgarium, quae tamen plerumque tam intricatae evadunt, ut parum lucri inde redundet. Contra evolutio in series, quae ad usus practicos, quoties de partibus superficiei modicis agitur, abunde sufficiunt, nullis difficultatibus obnoxia est, atque sic formulae allatae fontem uberem aperiunt, ad multa problemata gravissima solvenda. Hoc vero loco exemplum unicum ad methodi indolem monstrandam evolvemus.

23.

Considerabimus casum eum, ubi omnes lineae, pro quibus p constans est, sunt lineae brevissimae orthogonaliter secantes lineam, pro qua $\varphi = 0$, et quam tamquam lineam abscissarum contemplari possumus. Sit A punctum, pro quo $r = 0$, D punctum indefinitum in linea abscissarum, $AD = p$, B punctum indefinitum in linea brevissima ipsi AD in D normali, atque $BD = q$, ita ut p considerari possit tamquam abscissa, q tamquam ordinata puncti B; abscissas positivas assumimus in eo ramo lineae abscissarum, cui respondet $\varphi = 0$, dum r semper tamquam quantitatem positivam spectamus; ordinatas positivas statuimus in plaga ea, ubi φ numeratur inter 0 et 180^0.

Per theorema art. 16 habebimus $\omega = 90^0$, $F = 0$, nec non $G = 1$; statuemus insuper $\sqrt{E} = n$. Erit itaque n functio ipsarum p, q, et quidem talis, quae pro $q = 0$ fieri debet $= 1$. Applicatio formulae in art. 18 allatae ad casum nostrum docet, in *quavis* linea brevissima esse debere $\mathrm{d}\theta = -\frac{\mathrm{d}n}{\mathrm{d}q}\cdot\mathrm{d}p$, denotante θ angulum inter elementum huius lineae atque elementum lineae, pro qua q constans: iam quum linea abscissarum ipsa sit brevissima, atque pro ea ubique $\theta = 0$, patet, pro $q = 0$ ubique fieri debere $\frac{\mathrm{d}n}{\mathrm{d}q} = 0$. Hinc igitur colligimus, si n in seriem secundum potestates ipsius q progredientem evolvatur, hanc habere debere formam sequentem

$$n = 1 + fqq + gq^3 + hq^4 + \text{ etc.}$$

ubi f, g, h etc. erunt functiones ipsius p, et quidem statuemus

$$f = f^0 + f'p + f''pp + \text{ etc.}$$
$$g = g^0 + gp + g''pp + \text{ etc.}$$
$$h = h^0 + h'p + h''pp + \text{ etc.}$$

etc. sive

$$n = 1 + f^0qq + f'pqq + f''ppqq + \text{ etc.}$$
$$+ g^0q^3 + g'pq^3 + \text{ etc.}$$
$$+ h^0q^4 + \text{ etc. etc.}$$

24.

Aequationes art. 22 in casu nostro suppeditant

$$n\sin\psi = \frac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}p}, \quad \cos\psi = \frac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}q}, \quad -n\cos\psi = m\cdot\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}p}, \quad \sin\psi = m\cdot\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}q}$$
$$nn = nn\left(\frac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}q}\right)^2 + \left(\frac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}p}\right)^2, \quad nn\cdot\frac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}q}\cdot\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}q} + \frac{\mathrm{d}r}{\mathrm{d}p}\cdot\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}p} = 0$$

Adiumento harum aequationum, quarum quinta et sexta iam in reliquis continentur, series evolvi poterunt pro r, φ, ψ, m, vel pro quibuslibet functionibus harum quantitatum, e quibus eas, quae imprimis attentione sunt dignae, hic sistemus.

Quum pro valoribus infinite parvis ipsarum p, q fieri debeat $rr = pp + qq$, series pro rr incipiet a terminis $pp + qq$: terminos altiorum ordinum obtinemus per methodum coëfficientium indeterminatorum*) adiumento aequationis

$$\left(\tfrac{1}{n}\cdot\frac{\mathrm{d}rr}{\mathrm{d}p}\right)^2 + \left(\frac{\mathrm{d}rr}{\mathrm{d}q}\right)^2 = 4rr$$

scilicet

[1] $$rr = pp + \tfrac{2}{3}f^0ppqq + \tfrac{1}{2}f'p^3qq + (\tfrac{2}{5}f'' - \tfrac{4}{15}f^0f^0)p^4qq \text{ etc.}$$
$$+ qq + \tfrac{1}{2}g^0ppq^3 + \tfrac{2}{5}g'p^3q^3$$
$$+ (\tfrac{2}{5}h^0 - \tfrac{4}{15}f^0f^0)ppq^4$$

Dein habemus, ducente formula $r\sin\psi = \frac{1}{2n}\cdot\frac{\mathrm{d}rr}{\mathrm{d}p}$,

[2] $$r\sin\psi = p - \tfrac{1}{3}f^0pqq - \tfrac{1}{4}f'ppqq - (\tfrac{1}{5}f'' + \tfrac{4}{15}f^0f^0)p^3qq \text{ etc.}$$
$$- \tfrac{1}{2}g^0pq^3 - \tfrac{2}{5}g'ppq^3$$
$$- (\tfrac{2}{5}h^0 - \tfrac{4}{15}f^0f^0)pq^4$$

*) Calculum, qui per nonnulla artificia paullulum contrahi potest, hic adscribere superfluum duximus.

nec non per formulam $r\cos\psi = \frac{1}{2}\cdot\frac{\mathrm{d}rr}{\mathrm{d}q}$

$$[3]\quad r\cos\psi = q + \tfrac{2}{3}f^0ppq + \tfrac{1}{2}f'p^3q + (\tfrac{2}{3}f'' - \tfrac{4}{15}f^0f^0)p^4q \text{ etc.}$$
$$+ \tfrac{2}{3}g^0ppqq + \tfrac{2}{3}g'p^3qq$$
$$+ (\tfrac{1}{6}h^0 - \tfrac{1}{15}f^0f^0)ppq^3$$

Hinc simul innotescit angulus ψ. Perinde ad computum anguli φ concinnius evolvuntur series pro $r\cos\varphi$ atque $r\sin\varphi$, quibus inserviunt aequationes differentiales partiales

$$\frac{\mathrm{d}.r\cos\varphi}{\mathrm{d}p} = n\cos\varphi.\sin\psi - r\sin\varphi.\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}p}$$
$$\frac{\mathrm{d}.r\cos\varphi}{\mathrm{d}q} = \cos\varphi.\cos\psi - r\sin\varphi.\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}q}$$
$$\frac{\mathrm{d}.r\sin\varphi}{\mathrm{d}p} = n\sin\varphi.\sin\psi + r\cos\varphi.\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}p}$$
$$\frac{\mathrm{d}.r\sin\varphi}{\mathrm{d}q} = \sin\varphi.\cos\psi + r\cos\varphi.\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}q}$$
$$n\cos\psi.\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}q} + \sin\psi.\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}p} = 0$$

quarum combinatio suppeditat

$$\frac{r\sin\psi}{n}\cdot\frac{\mathrm{d}.r\cos\varphi}{\mathrm{d}p} + r\cos\psi.\frac{\mathrm{d}.r\cos\varphi}{\mathrm{d}q} = r\cos\varphi$$
$$\frac{r\sin\psi}{n}\cdot\frac{\mathrm{d}.r\sin\varphi}{\mathrm{d}p} + r\cos\psi.\frac{\mathrm{d}.r\sin\varphi}{\mathrm{d}q} = r\sin\varphi$$

Hinc facile evolvuntur series pro $r\cos\varphi$, $r\sin\varphi$, quarum termini primi manifesto esse debent p et q, puta

$$[4]\quad r\cos\varphi = p + \tfrac{2}{3}f^0pqq + \tfrac{1}{15}f'ppqq + (\tfrac{3}{10}f'' - \tfrac{8}{15}f^0f^0)p^3qq \text{ etc.}$$
$$+ \tfrac{1}{2}g^0pq^3 + \tfrac{7}{20}g'ppq^3$$
$$+ (\tfrac{3}{8}h^0 - \tfrac{7}{15}f^0f^0)pq^4$$
$$[5]\quad r\sin\varphi = q - \tfrac{1}{3}f^0ppq - \tfrac{1}{6}f'p^3q - (\tfrac{1}{10}f'' - \tfrac{7}{10}f^0f^0)p^4q \text{ etc.}$$
$$- \tfrac{1}{2}g^0ppqq - \tfrac{3}{20}g'p^3qq$$
$$- (\tfrac{1}{8}h^0 + \tfrac{13}{30}f^0f^0)ppq^3$$

E combinatione aequationum [2], [3], [4], [5] derivari posset series pro $rr\cos(\psi+\varphi)$, atque hinc, dividendo per seriem [1], series pro $\cos(\psi+\varphi)$, a qua ad seriem pro ipso angulo $\psi+\varphi$ descendere liceret. Elegantius tamen eadem obtinetur sequenti modo. Differentiando aequationem primam et secundam ex iis, quae initio huius art. allatae sunt, obtinemus

$$\sin\psi.\frac{\mathrm{d}n}{\mathrm{d}q} + n\cos\psi.\frac{\mathrm{d}\psi}{\mathrm{d}q} + \sin\psi.\frac{\mathrm{d}\psi}{\mathrm{d}p} = 0$$

qua combinata cum hac

$$n\cos\psi.\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}q} + \sin\psi.\frac{\mathrm{d}\varphi}{\mathrm{d}p} = 0$$

prodit

$$\frac{r\sin\psi}{n}\cdot\frac{\mathrm{d}n}{\mathrm{d}q} + \frac{r\sin\psi}{n}\cdot\frac{\mathrm{d}(\psi+\varphi)}{\mathrm{d}p} + r\cos\psi.\frac{\mathrm{d}(\psi+\varphi)}{\mathrm{d}q} = 0$$

Ex hac aequatione adiumento methodi coëfficientium indeterminatorum facile eliciemus seriem pro $\psi+\varphi$, si perpendimus, ipsius terminum primum esse debere $\frac{1}{2}\pi$, radio pro unitate accepto, atque denotante 2π peripheriam circuli,

$$[6]\quad \psi+\varphi = \tfrac{1}{2}\pi - f^0pq - \tfrac{2}{3}f'ppq - (\tfrac{1}{2}f'' - \tfrac{1}{6}f^0f^0)p^3q \text{ etc.}$$
$$- g^0pqq - \tfrac{2}{3}g'ppqq$$
$$- (h^0 - \tfrac{1}{2}f^0f^0)pq^3$$

Operae pretium videtur, etiam aream trianguli ABD in seriem evolvere. Huic evolutioni inservit aequatio conditionalis sequens, quae e considerationibus geometricis satis obviis facile derivatur, et in qua S aream quaesitam denotat:

$$\frac{r\sin\psi}{n}\cdot\frac{\mathrm{d}S}{\mathrm{d}p} + r\cos\psi.\frac{\mathrm{d}S}{\mathrm{d}q} = \frac{r\sin\psi}{n}.\int n\,\mathrm{d}q$$

integratione a $q = 0$ incepta. Hinc scilicet obtinemus per methodum coëfficientium indeterminatorum

$$[7]\quad S = \tfrac{1}{2}pq - \tfrac{1}{12}f^0p^3q - \tfrac{1}{20}f'p^4q - (\tfrac{1}{30}f'' - \tfrac{1}{60}f^0f^0)p^5q \text{ etc.}$$
$$- \tfrac{1}{12}f^0pq^3 - \tfrac{3}{40}g^0p^3qq - \tfrac{1}{20}g'p^4qq$$
$$- \tfrac{17}{120}f'ppq^3 - (\tfrac{11}{120}h^0 + \tfrac{2}{15}f'' + \tfrac{1}{60}f^0f^0)p^3q^3$$
$$- \tfrac{1}{10}g^0pq^4 - \tfrac{3}{40}g'ppq^4$$
$$- (\tfrac{1}{10}h^0 - \tfrac{1}{30}f^0f^0)pq^5$$

25.

A formulis art. praec., quae referuntur ad triangulum a lineis brevissimis formatum rectangulum, progredimur ad generalia. Sit C aliud punctum in ea-

dem linea brevissima DB, pro quo, manente p, characteres $q', r', \varphi', \psi', S'$ eadem designent, quae q, r, φ, ψ, S pro puncto B. Ita oritur triangulum inter puncta A, B, C, cuius angulos per A, B, C, latera opposita per a, b, c, aream per σ denotamus; mensuram curvaturae in punctis A, B, C resp. per $\alpha, \mathfrak{G}, \gamma$ exprimemus. Supponendo itaque (quod licet), quantitates $p, q, q-q'$ esse positivas, habemus

$$A = \varphi - \varphi', \quad B = \psi, \quad C = \pi - \psi', \quad a = q - q', \quad b = r', \quad c = r, \quad \sigma = S - S'$$

Ante omnia aream σ per seriem exprimemus. Mutando in [7] singulas quantitates ad B relatas in eas, quae ad C referuntur, prodit formula pro S', unde, usque ad quantitates sexti ordinis obtinemus

$$\begin{aligned}\sigma = \tfrac{1}{2}p(q-q')\{1 &- \tfrac{1}{6}f^0(pp+qq+qq'+q'q') \\ &- \tfrac{1}{6}{}^1 f'p(6pp+7qq+7qq'+7q'q') \\ &- \tfrac{1}{6}{}^1 g^0(q+q')(3pp+4qq+4qq'+4q'q')\}\end{aligned}$$

Haec formula, adiumento seriei [2] puta

$$c \sin B = p(1 - \tfrac{1}{6}f^0 qq - \tfrac{1}{4}f' pqq - \tfrac{1}{4}g^0 q^3 - \text{ etc.})$$

transit in sequentem

$$\begin{aligned}\sigma = \tfrac{1}{2}ac \sin B\{1 &- \tfrac{1}{6}f^0(pp-qq+qq'+q'q') \\ &- \tfrac{1}{6}{}^1 f'p(6pp-8qq+7qq'+7q'q') \\ &- \tfrac{1}{6}{}^1 g^0(3ppq+3ppq'-6q^3+4qqq'+4qq'q'+4q'^3)\}\end{aligned}$$

Mensura curvaturae pro quovis superficiei puncto fit (per art. 19, ubi m, p, q erant quae hic sunt n, q, p)

$$= -\frac{1}{n}\cdot\frac{\mathrm{d}\mathrm{d}n}{\mathrm{d}q^2} = -\frac{2f+6gq+12hqq+\text{etc.}}{1+fqq+\text{etc.}} = -2f-6gq-(12h-2ff)qq- \text{ etc.}$$

Hinc fit, quatenus p, q ad punctum B referuntur,

$$\mathfrak{G} = -2f^0 - 2f'p - 6g^0 q - 2f''pp - 6g'pq - (12h^0 - 2f^0 f^0)qq - \text{ etc.}$$

nec non

$$\begin{aligned}\gamma &= -2f^0 - 2f'p - 6g^0 p' - 2f''pp - 6g'pq' - (12h^0 - 2f^0 f^0)q'q' - \text{ etc.} \\ \alpha &= -2f^0\end{aligned}$$

Introducendo has mensuras curvaturae in serie pro σ, obtinemus expressionem sequentem, usque ad quantitates sexti ordinis (excl.) exactam:

$$\begin{aligned}\sigma = \tfrac{1}{2}ac \sin B\{1 &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\alpha(4pp-2qq+3qq'+3q'q') \\ &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\mathfrak{G}(3pp-6qq+6qq'+3q'q') \\ &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\gamma(3pp-2qq+\ qq'+4q'q')\}\end{aligned}$$

Praecisio eadem manebit, si pro p, q, q' substituimus $c \sin B$, $c \cos B$, $c \cos B - a$, quo pacto prodit

[8]
$$\begin{aligned}\sigma = \tfrac{1}{2}ac \sin B\{1 &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\alpha(3aa+4cc- \ 9ac\cos B) \\ &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\mathfrak{G}(3aa+3cc-12ac\cos B) \\ &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\gamma(4aa+3cc- \ 9ac\cos B)\}\end{aligned}$$

Quum ex hac aequatione omnia, quae ad lineam AD normaliter ad BC ductam referuntur, evanuerint, etiam puncta A, B, C cum correlatis inter se permutare licebit, quapropter erit eadem praecisione

[9]
$$\begin{aligned}\sigma = \tfrac{1}{2}bc \sin A\{1 &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\alpha(3bb+3cc-12bc\cos A) \\ &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\mathfrak{G}(3bb+4cc- \ 9bc\cos A) \\ &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\gamma(4bb+3cc- \ 9bc\cos A)\}\end{aligned}$$

[10]
$$\begin{aligned}\sigma = \tfrac{1}{2}ab \sin C\{1 &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\alpha(3aa+4bb- \ 9ab\cos C) \\ &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\mathfrak{G}(4aa+3bb- \ 9ab\cos C) \\ &+ {}_{1\frac{1}{2}0}\gamma(3aa+3bb-12ab\cos C)\}\end{aligned}$$

26.

Magnam utilitatem affert consideratio trianguli plani rectilinei, cuius latera aequalia sunt ipsis a, b, c; anguli illius trianguli, quos per A^*, B^*, C^* designabimus, different ab angulis trianguli in superficie curva, puta ab A, B, C quantitatibus secundi ordinis, operaeque pretium erit, has differentias accurate evolvere. Calculorum autem prolixiorum quam difficiliorum, primaria momenta apposuisse sufficiet.

Mutando in formulis [1], [4], [5], quantitates, quae referuntur ad B, in eas, quae referuntur ad C, nanciscemur formulas pro $r'r'$, $r'\cos\varphi'$, $r'\sin\varphi'$. Tunc evolutio expressionis $rr + r'r' - (q-q')^2 - 2r\cos\varphi . r'\cos\varphi' - 2r\sin\varphi . r'\sin\varphi'$, quae fit $= bb + cc - aa - 2bc\cos A = 2bc(\cos A^* - \cos A)$, combinata cum evolutione

expressionis $r\sin\varphi.r'\cos\varphi' - r\cos\varphi.r'\sin\varphi'$, quae fit $= bc\sin A$, suppeditat formulam sequentem

$$\cos A^* - \cos A = -(q-q')p\sin A\{\tfrac{1}{2}f'^0 + \tfrac{1}{6}f'p + \tfrac{1}{4}g^0(q+q') + (\tfrac{1}{10}f'' - \tfrac{1}{15}f^0f^0)pp + \tfrac{3}{20}g'p(q+q') + (\tfrac{1}{8}h^0 - \tfrac{3}{70}f^0f^0)(qq+qq'+q'q') + \text{etc.}\}$$

Hinc fit porro, usque ad quantitates quinti ordinis

$$A^* - A = -(q-q')p\{\tfrac{1}{2}f'^0 + \tfrac{1}{6}f'p + \tfrac{1}{4}g^0(q+q') + \tfrac{1}{10}f''pp + \tfrac{3}{20}g'p(q+q') + \tfrac{1}{8}h^0(qq+qq'+q'q') - \tfrac{1}{70}f^0f^0(7pp+7qq+12qq'+7q'q')\}$$

Combinando hanc formulam cum hac

$$2\sigma = ap(1 - \tfrac{1}{6}f^0(pp+qq+qq'+q'q' - \text{etc.}))$$

atque cum valoribus quantitatum α, $\mathfrak{b}$, γ in art. praec. allatis, obtinemus usque ad quantitates quinti ordinis

$$[11]\quad A^* = A - \sigma\{\tfrac{1}{6}\alpha + \tfrac{1}{12}\mathfrak{b} + \tfrac{1}{12}\gamma + \tfrac{3}{112}f''pp + \tfrac{1}{8}g'p(q+q') + \tfrac{1}{8}h^0(3qq - 2qq' + 3q'q') + \tfrac{1}{70}f^0f^0(4pp - 11qq + 14qq' - 11q'q')\}$$

Per operationes prorsus similes evolvimus

$$[12]\quad B^* = B - \sigma\{\tfrac{1}{12}\alpha + \tfrac{1}{6}\mathfrak{b} + \tfrac{1}{12}\gamma + \tfrac{1}{70}f''pp + \tfrac{1}{10}g'p(2q+q') + \tfrac{1}{8}h^0(4qq - 4qq' + 3q'q') - \tfrac{1}{70}f^0f^0(2pp + 8qq - 8qq' + 11q'q')\}$$

$$[13]\quad C^* = C - \sigma\{\tfrac{1}{12}\alpha + \tfrac{1}{12}\mathfrak{b} + \tfrac{1}{6}\gamma + \tfrac{1}{70}f''pp + \tfrac{1}{10}g'p(q+2q') + \tfrac{1}{8}h^0(3qq - 4qq' + 4q'q') - \tfrac{1}{70}f^0f^0(2pp + 11qq - 8qq' + 8q'q')\}$$

Hinc simul deducimus, quum summa $A^* + B^* + C^*$ duobus rectis aequalis sit, excessum summae $A + B + C$ supra duos angulos rectos, puta

$$[14]\quad A + B + C = \pi + \sigma\{\tfrac{1}{2}\alpha + \tfrac{1}{2}\mathfrak{b} + \tfrac{1}{2}\gamma + \tfrac{1}{2}f''pp + \tfrac{1}{2}g'p(q+q') + (2h^0 - \tfrac{1}{2}f^0f^0)(qq - qq' + q'q')\}$$

Haec ultima aequatio etiam formulae [6] superstrui potuisset.

27.

Si superficies curva est sphaera, cuius radius $= R$, erit

$$\alpha = \mathfrak{b} = \gamma = -2f^0 = \tfrac{1}{RR};\quad f'' = 0,\ g' = 0,\ 6h^0 - f^0f^0 = 0 \text{ sive } k^0 = \tfrac{1}{24RR}$$

Hinc formula [14] fit

$$A + B + C = \pi + \tfrac{\sigma}{RR}$$

quae praecisione absoluta gaudet; formulae 11—13 autem suppeditant

$$A^* = A - \tfrac{\sigma}{3RR} - \tfrac{\sigma}{180RR}(2pp - qq + 4qq' - q'q')$$
$$B^* = B - \tfrac{\sigma}{3RR} + \tfrac{\sigma}{180RR}(pp - 2qq + 2qq' + q'q')$$
$$C^* = C - \tfrac{\sigma}{3RR} + \tfrac{\sigma}{180RR}(pp + qq + 2qq' - 2q'q')$$

sive aeque exacte

$$A^* = A - \tfrac{\sigma}{3RR} - \tfrac{\sigma}{180RR}(bb + cc - 2aa)$$
$$B^* = B - \tfrac{\sigma}{3RR} - \tfrac{\sigma}{180RR}(aa + cc - 2bb)$$
$$C^* = C - \tfrac{\sigma}{3RR} - \tfrac{\sigma}{180RR}(aa + bb - 2cc)$$

Neglectis quantitatibus quarti ordinis, prodit hinc theorema notum a clar. LEGENDRE primo propositum.

28.

Formulae nostrae generales, reiectis terminis quarti ordinis, persimplices evadunt, scilicet

$$A^* = A - \tfrac{1}{12}\sigma(2\alpha + \mathfrak{b} + \gamma)$$
$$B^* = B - \tfrac{1}{12}\sigma(\alpha + 2\mathfrak{b} + \gamma)$$
$$C^* = C - \tfrac{1}{12}\sigma(\alpha + \mathfrak{b} + 2\gamma)$$

Angulis itaque A, B, C in superficie non sphaerica reductiones inaequales applicandae sunt, ut mutatorum sinus lateribus oppositis fiant proportionales. Inaequalitas generaliter loquendo erit tertii ordinis, at si superficies parum a sphaera discrepat, illa ad ordinem altiorem referenda erit: in triangulis vel maximis in superficie telluris, quorum quidem angulos dimetiri licet, differentia semper pro

insensibili haberi potest. Ita e.g. in triangulo maximo inter ea, quae annis praecedentibus dimensi sumus, puta inter puncta Hohehagen, Brocken, Inselsberg, ubi excessus summae angulorum fuit $= 14''85348$, calculus sequentes reductiones angulis applicandas prodidit:

Hohehagen	$-4''95113$
Brocken	$-4,95104$
Inselsberg	$-4,95131$

29.

Coronidis causa adhuc comparationem areae trianguli in superficie curva cum area trianguli rectilinei, cuius latera sunt a, b, c, adiiciemus. Aream posteriorem denotabimus per σ^*, quae fit $= \frac{1}{2}bc\sin A^* = \frac{1}{2}ac\sin B^* = \frac{1}{2}ab\sin C^*$

Habemus, usque ad quantitates ordinis quarti

$$\sin A^* = \sin A - \tfrac{1}{12}\sigma\cos A.(2\alpha + \vec{6} + \gamma)$$

sive aeque exacte

$$\sin A = \sin A^*.(1 + \tfrac{1}{24}bc\cos A.(2\alpha + \vec{6} + \gamma))$$

Substituto hoc valore in formula [9], erit usque ad quantitates sexti ordinis

$$\sigma = \tfrac{1}{2}bc\sin A^*.\{1 + \tfrac{1}{12}\alpha(3bb + 3cc - 2bc\cos A) + \tfrac{1}{12}\vec{6}(3bb + 4cc - 4bc\cos A) + \tfrac{1}{12}\gamma(4bb + 3cc - 4bc\cos A)\}$$

sive aeque exacte

$$\sigma = \sigma^*\{1 + \tfrac{1}{12}\alpha(aa + 2bb + 2cc) + \tfrac{1}{12}\vec{6}(2aa + bb + 2cc) + \tfrac{1}{12}\gamma(2aa + 2bb + cc)\}$$

Pro superficie sphaerica haec formula sequentem induit formam

$$\sigma = \sigma^*(1 + \tfrac{1}{24}\alpha(aa + bb + cc))$$

cuius loco etiam sequentem salva eadem praecisione adoptari posse facile confirmatur

$$\sigma = \sigma^*\sqrt{\frac{\sin A.\sin B.\sin C}{\sin A^*.\sin B^*.\sin C^*}}$$

Si eadem formula triangulis in superficie curva non sphaerica applicatur, error generaliter loquendo erit quinti ordinis, sed insensibilis in omnibus triangulis, qualia in superficie telluris dimetiri licet.

UNTERSUCHUNGEN

ÜBER

GEGENSTÄNDE DER HÖHERN GEODAESIE

ERSTE ABHANDLUNG

VON

CARL FRIEDRICH GAUSS

DER KÖNIGL. SOCIETÄT ÜBERGEBEN MDCCCXLIII OCT. XXIII.

Abhandlungen der Königl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen Band II.
Göttingen 1844.
